This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

95.
d. 8

600044894Z

95 d. 8

Lc. 213 62.

QUAESTIONES

DE

HISTORIA SABBATI.

SCRIPSIT

GUILELMUS LOTZ,

PHIL. DR., THEOL. LIC.

LIPSIAE

J. C. HINRICHS.

MDCCCLXXXIII.

QUAESTIONES

DE HISTORIA SABBATI.

SCRIPSIT

GUILELMUS LOTZ,

PHIL. DR., THEOL. LIC.

LIPSIAE

J. C. HINRICHS.

MDCCCLXXXIII.

BODLEIAN LIBRARY
8 MAY 83
OXFORD.

JURIBUS SERVATIS OMNIBUS.

TYPIS EXSCRIPSERUNT BREITKOPF & HAERTEL.

MAGISTRO SUO CARISSIMO

FRANCISCO DELITZSCHIO

HUNC LIBRUM

ANIMI PIGNUS GRATISSIMI

DEDICAVIT

AUCTOR.

Prooemium.

Quamvis multi exstent libri, quibus de hebdomade instituta et de sabbati, i. e. septimi cujusque diei laboris intermissione (otio, quiete) distinguendi origine ac natura tractatum est, tamen hoc ipso tempore, quo non modo ex Mesopotamiae ruinis literae emerserunt amplissimae et locupletissimae, quae quum res antiquas Babyloniorum adhuc tenebris obscuratas patefaciunt atque illustrant, tum quae spectant ad hebdomadem sabbatumque eorum produnt, verum etiam de pentateuchi Mosaici origine et de rerum Israeliticarum primordiis ac progressu prorsus nova ab hominibus doctis inventa sunt, denuo hanc rem tractandam et examinandam esse apparet. Nova enim ista rerum Israeliticarum narrandarum ratio, quum sabbati quoque temporibus diversis diversam apud Hebraeos etiam post Mosen auctoritatem fuisse statuat, sive recta ea sive prava est, nova quasi trutina locos Veteris Testamenti, quibus de sabbato agitur, pensandi necessitatem affert; literae autem Babylonicae tantum valent ad cognoscendum, num ante Mosen sabbatum vel simile ejus fuerit, ut ea quaestio jam in discrimen adducta esse videatur: quod qui demonstrabit, operae pretium faciet. Jam nostram utrique rei operam navare animo proposuimus.

In Vet. Testamento duplex de origine sabbati memoria exstat. Primum proditur, Deum quod, mundo sex diebus creato, septimo quieverit, hunc diem faustum sacrumque fecisse, eamque esse causam, cur septimus quisque dies quiete sit celebrandus (Gen. 2, 2. 3. Ex. 20, 9—11). Tum Deus per Mosen Israelitis sabbatum dedisse dicitur (Ezech. 20, 18—21. Neh.

9, 13. 14). Quae quidem dicta sic licet conjungere: praecepti, ut septimo quoque die quiescatur, causa quidem est vel exemplar, quod Deus, sex diebus mundo confecto, septimo feriatus est: per Mosen vero demum factum est, ut ea sabbatorum observatio, quam lex Sinaitica imperat, vitam hominum moderaretur.

Sed instituturis nobis de sabbato quaestionem ita, ut eam rerum gestarum historiam critica ratione inquirendo expediamus, praetermittendus est locus de sabbato propter ordinem creationis mundi constituto et hoc quaerendum, quando et qua ratione sabbata sint ab hominibus agitari coepta, et quibus temporibus vel novae hominum de sabbati natura sententiae exstiterint, vel commutatus sit modus ac ratio sabbati celebrandi.

Partes autem commentationis nostrae hae erunt: primum explorabimus, quae sabbati ante Mosen aliquo modo observati vestigia in libris sacris Israelitarum aut in ceterarum gentium literis monumentisque exstent: deinde libros Veteris Testamenti perscrutando exquiremus, Israelitarum sententia de sabbati natura otiique sabbatici auctoritate utrum eadem semper fuerit inde a Mosis aetate, an diversis temporibus diversa.

LIBER PRIOR.

Caput I.

Praemittenda est brevis disputatio de vocabulo שַׁבָּת. Hoc a radice שׁבת[1] „desinere, quiescere, requiescere“ esse profectum, jam pro explorato habemus. Illam enim sententiam, שַׁבָּת ortum ex שָׁבְעָה significare *ἑβδομάδα*, quae fuit Theophili Antiocheni[2] et Lactantii[3], nostro tempore jam nemo probat. De forma vocabuli constat, dagesch, quo litera ב geminatur, non esse firmativum, ut שַׁבָּת pronuntietur pro שַׁבָּתְהּ (Boettcher, gramm. § 621), sed שַׁבָּת ei nominum generi, cujus altera radicis con-

1) Vis radicis principalis videtur fuisse „resecare, amputare“ (de Lagarde, Dillmann), unde significationes „finire, desistere“, deinde „quiescere“ profluxerunt. Verbum assyrium *šabâtu* secundum II R. 25, 14a idem valet ac *gamâru* (hebr. גָּמַר) „conficere, finire“, et „desecare“ secundum fragmentum lexicographicum K. 4359, in quo legimus *šabâtu ša abâbi* „. . . de tempestate dictum“ i. e. „defringere“?, et *šabâtu ša šêim* „. . . de frumento dictum“ i. e. „frumentum desecare“, et *šabâtu ša kîbri* „. . . de . . . dictum“. — Quum autem *šabattu* (de quo infra) „diem quietis cordis“ esse in tabula assyria lexicographica legamus, verbum *šabâtu* etiam „quiescendi“ significationem habuisse mihi persuasum est. Radicem ejus שבת$_3$ esse credo, non שבת$_1$ = arab. ثبت (Muehlau-Volck), quoniam Arabum سبت „amputare“ et etiam = نام „quiescere, dormire“ congruit cum assyrio *šabâtu* et hebraico שׁבת, et Aramaei, a quorum lingua hanc radicem prorsus alienam fuisse non verisimile est, שַׁבְּתָא, שְׁבַת etc., non חברתא, חבת dicunt. Num Arabum voces سَنْبَتَة „tempus“ et سُنْبُوت „malignitas“ ad eandem radicem revocandae sint (de Lagarde, Psalterium Hieronymi, p. 158), in medio relinquo. At certum est, hanc radicem a radice שׁוּב longe abhorrere (contra Baehrium disputo, vide *Symbolik des mosaischen Cultus*, II pag. 533).

2) Ad Autol. II 12 (pag. 90 ed. Otto): *ὅτι παῤ Ἑβραίοις ὁ καλεῖται σάββατον ἑλληνιστὶ ἑρμηνεύεται ἑβδομάς.*

3) Inst. VII 14: Dies sabbati, qui lingua Hebraeorum a numero nomen accepit.

sonans duplicata est, attribuendum esse, facile intelligitur. Unde etiam Aramaei, qui hoc vocabulum ab Hebraeis acceperunt, ב duplicatam pronuntiant: שַׁבַּתָּא, שַׁבְּתָא, ܫܰܒܬܳܐ[1], Aethiopes autem geminationis loco literae *b* nasalem *n* praemittunt ሰንበት: (*sanbat*) dicentes pro *sabbat*[2]. Nec minus probabilis est sententia Kimchii, Olsh., de Lag., Boettch., Del., Dillm., aliorum, statuentium שַׁבָּת producta vocali ex שַׁבַּת ortum (generis fem., suffixo adjuncto שַׁבַּתּוֹ, pluraliter שַׁבָּתוֹת) idque contractum esse ex שַׁבַּתְתְּ*, quod contractione praetermissa שַׁבֶּתֶת factum esset (cf. מְשָׁרַת I Reg. 1, 15 pro מְשָׁרֶתֶת)[3]. Sunt[4] quidem, qui שַׁבָּת nomen agentis esse ponentes „diem" vel potius „tempus quiescens" significare dicant, et feminine enuntiari, quod עֵת (gen. f. „tempus") supplendum sit[5]. Sed si res ita se haberet, non potuisset dici יוֹם השׁבת „dies temporis quiescentis" (!), et quid causae inveniri potest, cur עֵת שַׁבֶּתֶת „tempus quiescens" Hebraei dicere maluerint quam

---

1) Aramaei litera ת in exitu vocabuli pro mera servili habita, praeter שַׁבְּתָא saepe שַׁבָּא, ܫܰܒܳܐ dicunt, Arabes autem forma penitus mutata سَبْتٌ (nom. segol.).

2) In aramaica quoque et aethiopica lingua vocabulum generis fem. est. Judaei diem sabbati liturgice velut sponsam et reginam salutare et canere solent, Falaschae (Judaei Aethiopiam incolentes) quasi deam colunt.

3) Roediger in Gesenii thesauro ab ipso absoluto putat, dagesch in litera ת formarum שַׁבַּתּוֹ etc., quod in pluralibus desideretur, non aliter ortum esse atque in formis זְמַנָּם, קְטַנִּי. Sed si ita esset, שַׁבַּתּוֹת pronuntiatum esset sicut זְמַנִּים, קְטַנּוֹת; contra si dagesch in שַׁבַּתּוֹ assimilatione literae ת genus femininum indicantis exstitit, formam שַׁבָּתוֹת, quae duas ת servavit, illius dagesch expertem esse, non mirum. Cf. Ewald, gramm. pag. 545 not. Cf. praeterea מַחֲבַת, מָשְׁחַת.

4) Delitzsch, Keil, Muehlau-Volck.

5) Ewald diem septimum „*Feierer*" appellari existimans non vult supplere vocabulum עֵת, sed linguae hebr. legem esse statuit (gramm. p. 455. 545), ut voces tempus significantes feminino generi tribuantur, quae sit causa, cur עֵת generis f. sit. Verum יוֹם, לַיִל, יֶרַח, חֹדֶשׁ sunt masculini gen. — עֵת ex עֵנֶת contractum esse Fleischer (in pag. 572 vol. sec. lexici chald. a Levy editi) demonstravit. Masc. (*ênu*) lingua assyria exhibet.

יוֹם שַׁבָּת „dies quietis“? Accedit, quod plurima vocabula eodem modo ficta primitus nomina actionis sunt: שַׁלֶּכֶת „caesio“ (sive „conditio rei caesae“), שָׂרֶטֶת „incisura“, יַבֶּשֶׁת „ariditas“ deinde „terra arida“, חַטָּאת „peccatio“, בָּהָלָה et בֶּהָלָה „terror“, morborum et vitiorum nomina multa, v. c. עִוֶּרֶת „caecitas“, etc. Quod superest, non solum aramaicum sabbati nomen itemque aethiopicum, quae sunt ex hebraica lingua deprompta, feminini generis sunt, sed etiam assyrium *šabaṭtu*[1] duplicitate literae *ṭ*, quae non potest nisi litera *t* terminationis femininae assimilata esse effecta, generi feminino addicitur. Atqui ass. lingua vocem *énu* (= hebr. עֵת) masculine usurpare solet. Has ob causas שַׁבָּת esse nomen actionis atque „quietem“ significare[2], mihi persuasum est. Vis igitur verbi ipsa declarat, יוֹם הַשַּׁבָּת vel solum הַשַּׁבָּת, quo idem significaturi

---

1) Semel adhuc vocabulum repertum est: II R. 32, 16a. b, ubi legimus: *ša-bat-tu* = *ûmu nûḫ libbi* (יוֹם נוּחַ לֵבָב) i. e. „dies quietis cordis“. Fortasse ex forma hebraica conjicere licet, prius *a* productum esse, ita ut *šâbattu* formae *šabbattu* par sit. In verbis quoque pro قَتْل Assyrii interdum قَاتَل usurpant. Sed licet etiam credere, *šabattu* esse nomen segolatum = *šabtatu*.

2) Consentio Oehlero (Herzog, *Realenc.*$_1$ XIII 193), Dillmannus incertus est, utrum praeferat (Comm. in Ex. et Lev. pag. 214). — Ceterum jam vides, etiam sententiam Pauli de Lagarde (Psalterium Hieronymi p. 158 sq.) reprobandam esse, qui שַׁבָּת „(deam) abscidendo occupatam“ significare arbitratus, יום השבת antiquissimo tempore diem deae, quae vitae finem imponat, fuisse posuit. Quum constet Aethiopes vocabulum *sanbat* ab Hebraeis (sive Graecis: *σάββατον*) accepisse, nec possit probari, arabicum سَنْبَتَة, quippe quod neque „sabbatum“ neque „quietem“ significet, hebraico שַׁבָּת par esse, etiamsi utriusque vocis eadem videatur esse radix, nominis שַׁבָּת forma non est nisi ex hebraicae linguae rationibus judicanda, quibus nixus jam demonstravi, illud nomen actionis esse. P. de Lagarde item contendit, שבת, quod a prima verbi forma ducere non liceat, a forma II non posse non derivatum esse: verum חַטָּאת „peccatio, peccatum“ haud dubie ad חָטָא „peccare“, non ad חָטָא „peccatum luere, expiare“ referendum est, itemque יַבֶּשֶׁת, יַבָּשָׁה „ariditas, terra arida“ ad יָבֵשׁ. Atque etsi principio שַׁבָּת a שבת II derivatum esset, tamen non est, quod dubitemus, Israelitas jam antiquo tempore credidisse, sabbatum a שָׁבַת „quiescere“ traxisse nomen. — De dea autem illa „vitae finem imponente“ non attinet plus dicere, quam ejus memoriam apud antiquos scriptores exstare nullam.

utuntur, nihil aliud esse, quam „diem quietis s. diem, quo homines quiescunt“. Ex quo efficitur, jam antiquitus, eo tempore, quum hoc septimi diei nomen creatum est, quietem, laboris intermissionem, ejus diei proprietatem maxime insignem fuisse. Itaque, si quis arbitratur septimum diem principio fuisse diem sacrificiorum [1], hoc quidem non debet negare, ante ea tempora, quibus Israelitarum res nobis notae gestae sunt, quietem, qua septimo quoque die uti homines sive lex sive mos cogebat, tanti habitam esse, ut ab ea, non a sacrificiis dies nomen acceperit.

Haec quidem de vocabulo שַׁבָּת praemonenda visa sunt. Jam ad rem ipsam aggrediamur, ac primum quaeramus, fuerit-ne ante Mosen aliqua septimi cujusque diei celebratio.

1) Wellhausen, *Geschichte Israels*, I 117.

Caput II.

Vetus Testamentum nusquam aperte docet, sabbata ante Mosen ab hominibus esse agitata. In Genes. 2, 2. 3, cujus loci jam supra mentio facta est, quum Deus septimo die quievisse eumque sacrum fecisse, at non homines jussisse quiescere dicatur, in dubio relinquitur, num Hebraei aut scriptor crediderit, sabbata tum a Deo hominibus esse mandata.

Verba Ex. 20, 8: „Memento diei sabbati, ut sancte agas eum", ad hanc quaestionem non pertinent. Satis quidem evidens est, hac decalogi lege sabbata non esse primum instituta. Nam „dies sabbati" quid esset, iis, quibus lex daretur, notum esse oportebat[1]. Sed ex eo non plus efficitur, quam ut sabbata ante decalogum promulgatum, non item ut instituta sint ante Mosen, qui ipse potest antea sabbata edixisse. Atque si capitis XVI Exodi scriptor mannam filiis Israelis die quinto decimo et insequentibus mensis alterius post Aegyptum relictam a deo datam sic narrat, ut jam eo tempore Israelitis sabbati sanctitatem notam fuisse[2] intelligatur, potest credidisse, a Mose sabbata esse antea, in Mara[3] fortasse (Ex. 15, 25: „Ibi posuit ei legem ac jus et ibi eum periclitatus est") constituta.

---

1) Vox זכור „memento" non respiciens in tempus praeteritum, sed in futurum prospiciens admonet Israelitas, ut legis tum iis datae in posterum sint memores. Nihil igitur ad solvendam nostram quaestionem facit.

2) Liebetrut, *Die Sonntagsfeier*, pag. 9 sq. Saalschuetz, *das mosaische Recht*, I 389.

3) Ibi sabbata esse instituta Talmudica est sententia, vide quae Raschi ad h. l. adnotat, cf. Selden, de jure naturali ac gentium, p. 316 sqq.

Nihilominus etiamsi libri Veteris Testamenti soli ad hanc quaestionem expediendam praesto essent, suspicandum foret, sabbata jam ante Mosen aliquo modo fuisse distincta. Quum enim Moses plurima instituta sacra (sacrificia etc.) non primus invenerit, sed nova tantum ratione, quo melius Jehovae religioni essent accommodata, ordinarit, probabile est, etiam sabbatum, quale lex Veteris Testamenti praescribit, etsi Israelitarum proprium fuerit, ortum esse ex aliqua ante Mosis aetatem usitata septimi cujusque diei observatione.

Nec huic sententiae repugnant loci, quibus sabbati celebratio signum foederis inter Jehovam et Israelitas intercedentis esse dicitur (Ex. 31, 13. Ezech. 20, 12. cf. Neh. 9, 14). Nam iis non negatur, ante Mosen aliquam sabbati fuisse notionem, sed hoc tantum obtinetur, a nulla gente sabbata eadem ratione observari qua a Jehovae populo.

Fuerunt[1] vero, qui statuerent capite XVI libri Exodi, cujus narratio aliis documentum est sabbati ante Mosen observati (Oschwald, Liebetrut, Saalschuetz), perinde sabbati mentionem fieri, ac si populo antea fuerit ignotum. Sed diligentius inspicienti nullo illius narrationis verbo id videbitur probari. Animadvertas, quaeso, haec: populus etiamsi septimo die sabbatum esse agendum sciebat, non poterat non mirari, quum sexto die mannae non quantum ceteris diebus, sed alterum tantum collegissent; porro Mosis verba: „Cras sabbatum est etc.“ et quae postridie dixit: „Edite eam (mannam diei proximi reservatam) hodie, nam sabbatum Jehovae hodie est: hodie non invenietis eam“, certe non sunt ita comparata, ut tum instituta esse sabbata videantur; quod vero septimo die nonnulli castris egressi sunt mannam quaesitum, non demonstrat eos sabbati ignaros, sed verbis Mosis diffisos; denique verba versus 29: „Ecce, Jehova vobis sabbatum dedit, ideo dat vobis sexto die panem bidui“, sabbatum antea ignotum fuisse non possunt probare, quum antecedant haec: „Quousque non vultis servare leges meas et mandata?“

1) Oehler l. l. p. 194. Hengstenberg, *der Tag des Herrn* (1852).

unde apparet, sabbatorum observationem dudum fuisse imperatam [1].

Nihil igitur obstat, quominus Mosen sabbatum, jam ante ipsum distinctum, tantum instaurasse ejusque naturam quasi absolvisse atque perfecisse arbitremur. Certa vero argumenta scilicet talia, quae hanc sententiam necessarie demonstrent, in Vet. Testamento non reperiuntur.

Ac ne hoc quidem argumentis ex Vetere Testamento petitis probari potest, Hebraeos ante Mosen hebdomadibus usos esse certis diebus incipientibus, quarum alteram deinceps altera secuta sit. Nam in Gen. 29, 27 sq. admodum dubium est, num שָׁבוּעַ h. e. *ἑβδομάς „(Tag)siebent“* significet hebdomadem statam, ac multo verisimilius, Laban nihil aliud nisi „septem dies“ voluisse dicere.

Itaque, ut firmis, si possit fieri, argumentis probemus id quod nos censere diximus, legem Sinaiticam sabbatum non ut rem omnino novam instituisse, sed etiam ante Mosen Hebraeos sabbata habuisse, inquirendum nobis est, fuerit-ne apud ceteras gentes aliquis sabbatorum usus isque non exemplo Israelitarum post Mosen institutus.

---

1) Testimonii hujus narrationis ambiguitas tanta, ut sententiae virorum doctorum prorsus contrariae illo nitantur, duorum librorum narrationibus in unum confusis videtur effecta esse. Qua de re fusius disputandi locus non est.

Caput III.

Jam vero, quum septimum quemque diem non potuerint celebrare, nisi qui hebdomadum ordine ad tempora notanda utebantur, juvat primum videre, apud quas gentes hebdomadis usus reperiatur.

Nostris quidem temporibus omnes gentes christianas hebdomade uti notissimum est, sed pleraeque simul cum religione christiana eam receperunt. Ante suscepta sacra christiana hebdomade usi sunt Germani[1], quos eam a Romanis accepisse verisimile est, Romanos autem ipsos circiter illud tempus, quo Christus natus est, quum antea hebdomadis simile tantum habuerint, nundinarum ordine octonos dies terminis circumscribente[2], ab alia gente hebdomadem accepisse conjiciendum est. Graeci[3] vero mensem in tres partes dividebant, itemque Aegyptii[4], Indi[5] autem in duas. Non est igitur ut credamus, hebdomadem institutum esse a primis hominum parentibus acceptum, quum plurimis certe gentibus antiquitus fuerit ignota. Atque idem profecto de sabbato est dicendum.

Inanis enim fuit opera eorum[6], qui conati sunt demon-

---

1) Grimm, *deutsche Mythologie*$_3$ (1854), I 111—116.

2) Huschke, *das alte römische Jahr u. seine Tage* (*Breslau* 1869), pag. 288 sqq.

3) Ideler, *Handb. der mathem. u. techn. Chronologie*, I 279 sqq.

4) Lepsius, *Chronologie der Aegypter*, I 132. Brugsch, ZDMG III 271 not.

5) Lassen, *Indische Alterthumskunde*$_2$ I 985.

6) Hugo Grotius, de veritate religionis christianae, I 16. V 10, comment. ad Ex. XX 8. Oschwald, *die christl. Sonntagsfeier*, p. 13 sqq.

strare, Graecos et Romanos sabbatorum simile quid habuisse. Quae sententia jam eo refellitur, quod scriptores Romani[1] sabbata ut Judaeorum propria illudunt. Versus autem Home-

---

1) Ovid. ars am. I 413—416:

Tu licet incipias, qua flebilis Allia luce
Vulneribus Latiis sanguinolenta fuit,
Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palaestino septima festa Syro.

Ejusd. rem. am. 217—220:

Sed quanto minus ire voles, magis ire memento.
Perfer et invitos currere coge pedes.
Nec pluvias opta, nec te peregrina morentur
Sabbata nec damnis Allia nota suis.

Pers. sat. V 184:

Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.

Juvenal. sat. XIV 96 sqq.:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
Nil praeter nubes et coeli numen adorant
Nec distare putant humana carne suillam,
Quae pater abstinuit; mox et praeputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges
Judaicum ediscunt et servant ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumini Moses.
Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
Ignava, et partem vitae non attigit ullam.

Cf. VI 159: Observant ubi festa mero pede sabbata reges.

Tacit. hist. V 4: Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit. Dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum.

Rutil. de reditu suo, I 387 sqq.:

Reddimus obscaenae convicia debita genti,
Quae genitale caput propudiosa metit:
Radix stultitiae: cui frigida sabbata cordi,
Sed cor frigidius relligione sua.
Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
Tamquam lassati mollis imago dei.
Cetera mendacis deliramenta catastae
Nec pueros omnes credere posse reor.

ricos, quos Clemens Alex. in strom. V 14, 108 attulit[1], ab Aristobulo Judaeo Homero supposítos esse constat[2], et Hesiodus[3] mensis tantummodo septimum diem Apollini sacrum esse dicit.

Numerus septenarius scilicet jam antiquitus a Graecis insignis et sacer habebatur[4], quod ostendit Homerus Od. XII 129. Il. IX 122, quare non mirandum, illum ter vel quater narrare, septimo die post aliquam rem aliam accidisse. Cf. Od. XII 399. XIV 252. XV 477. Sed unum ex septenis diebus sacrum fuisse, inde haudquaquam potest colligi.

Porro minime negamus, festis diebus labores intermittere fas esse Graecorum Romanorumque sententia, quod testantur Xenophon (Hell. I 4, 12. de rep. Ath. III 8), Aristoteles (Nicom.

---

1) *Ἑβδομάτῃ δ' ἤπειτα κατήλυθεν ἱερὸν ἦμαρ.*
Ἑβδόμη ἦν ἱερή.
Ἕβδομον ἦμαρ ἦεν, καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα.

Callimacho (Lino) ille supposuit versus:

Ἑβδομάτῃ δ' ἠοῖ καὶ οἱ τετύκοντο ἅπαντα.
Ἑβδόμη εἰν ἀγαθοῖσι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ γενέθλη.
Ἑβδόμη ἐν πρώτοισι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ τελείη.
Ἐπτὰ δὲ πάντα τέτυκτο ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι,
Ἐν κύκλοισι φανέντ' ἐπιτελλομένοις ἐνιαυτοῖς.

2) Cf. Valckenaer, diatribe de Aristobulo Judaeo, ed. a Joh. Luzac (Lugd. Bat. 1806), p. 8 sq. 106 sq.

3) Op. et d. 769 sqq.:

Αἶσα γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς πάρα μητιόεντος.
Πρῶτον ἔνη τετράς τε καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Itaque Apollo *ἑβδομαγέτας* (Aesch., Sept. 800, cf. Herod. VI 57) et *ἑβδομαγενής* (Plut., Mor. p. 717 D) nominatur.

4) Quo factum sit, ut hic numerus tantum valeret, equidem affirmare non ausim, quum permultae possint excogitari causae. Noli vero opinari, numerum septenarium a Graecis ideo pro sacro habitum esse, quod planetae sint septem. Nam quum ante Pythagoram Graeci non noverint, *ἕσπερον* et *φωσφόρον* esse unam eandemque stellam, septem planetas numerare non potuerunt. — De numero VII sacro vide apud Cic. Rep. 6, 18. Philonem de decem orac. (II 198 sq.), de opif. mundi (I 21 sqq.), de septenario et festis dieb. (II 281), de Mose III (II p. 166 sq. ed. Mangey.) etc. Clem. Alex. strom. V 14. VI 16. Plut. de Ei ap. Delph. c. 17. Varro ap. Gell. N. A. III 10. Macrob. in somn. Scip. 1, 6.

VIII 9), Cicero (de leg. II 12, 29), Ovidius (fast. I 71 sqq.), Tibullus (eleg. II 1), Livius (V 13), Tacitus (ann. IV 70, 4), Festus (pag. 249 ed. Muell.), Seneca (epit. controv. V contr. 4), Macrobius (saturn. I 16), Servius (ad Virg. georg. I 268—275), Columella (de re rust. II 22), Strabo (geogr. X 3, 9). Verum non habuerunt dies certis sive septem sive plurium dierum intervallis revertentes, quibus labores agere nefas esset.

Quo tempore Christus natus est vel paulo ante hebdomadum ratio apud Romanos in usum venit (ante Constantinum Magnum non communem nec publicum), atque ex eo tempore scriptores Graeci et Romani[1] dies non raro nomini-

---

1) Cf. Calendarium Sabinicum primorum Caesarum tempore scriptum — Mommsen, *Röm. Chronol.*, p. 314; Huschke, *das alte römische Jahr*, p. 294. Sabini fortasse jam antea hebdomadibus usi sunt —.

Tibull. eleg. I 3, 15—18:

Ipse ego solator, quum jam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves, aut omnia dira,
Saturnive sacram me tenuisse diem.

Frontin. strat. II 1, 17: Vespasianus Judaeos Saturni die, quo eis nefas est quidquam seriae rei agere, adortus superavit.

Justin. Mart. apol. I 67: *τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος Σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. Τῇ γὰρ πρὸ τῆς Κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτὸν καὶ τῇ μετὰ τὴν Κρονικήν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα*, etc.

Tertull. ad nat. I 13: Vos certi estis, qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis et ex diebus ipsum praelegistis, quo die lavacrum subtrahatis aut in vesporam differatis, aut otium et prandium curetis . . . . . Quare ut ab excessu revertar, qui solem et diem ejus nobis exprobratis, agnoscite vicinitatem, non longe a Saturno et sabbatis vestris sumus.

apolog. adv. gent. 16: Denique inde suspicio, quod innotuerit, nos ad orientis regionem precari. Sed et plerique vestrum affectatione aliquando et coelestia adorandi ad solis ortum labia vibratis. Aeque si diem solis laetitiae indulgemus, alia longe ratione quam de religione solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio et victui decernunt, exorbitantes et ipsi a judaico more, quem ignorant.

bus nuncupant deorum, quorum septem planetae proprii esse putabantur.

Quaerentes autem, unde Romani hebdomadum usum et illa, quibus et nos[1] et alii[2] populi adhuc utimur, dierum nomina acceperint, ex libris illorum temporum discimus, astrologia tum ex oriente per imperium Romanum divulgata, quum astrologi res humanas planetis docuerint temperari, factum esse, ut septenum dierum singulis singulos planetas praeesse vulgo crederetur, eamque esse causam, cur planetarum nomina diebus data sint. Non mirum igitur, quod dies Saturno adscriptus, cujus creberrima est mentio, dies ater existimabatur[3], quum Saturni planetam astrologi dictitarent stellam esse iniquissimam[4].

Philostrat. vita Apollonii, III 41.

Auson. eclogarium ed. Bip. pag. 227:

De nominibus VII dierum.

Nomina, quae septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetae,
Quos indefessa volvens vertigine mundus,
Signorum obliqua jubet in statione vagari.
Primum supremumque diem radiatus habet Sol.
Proxima fraternae succedit Luna coronae.
Tertius assequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
Illustrant quintam Jovis aurea sidera zonam.
Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem.
Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

Constantini M. rescriptum de die solis: L. 1 Cod. Theod. lib. II tit. 8.

1) *Sonntag*, *Montag*, *Dinstag* (ahd. *ziestag*, mhd. *zistag* = dies dei *Zio*, qui Marti similis), *Donnerstag* (dies dei *Donar*), *Freitag* (dies deae *Freia*).

2) e. c. Angli, qui diem Mercurii *Wednesday* (h. e. dies dei *Wodan*, quem Tacitus (Germ. 9) Mercurio parem existimavit), diem Saturni *Saturday* appellant. Francogalli diem Mercurii *Mercredi* vocant.

3) Tibull. l. l.

4) Hor. od. II 17, 22 sq. Cic. divin. I 39, 85. cf. rep. VI 17, 17. nat. deor. II 20, 52. 46, 119. Plin. hist. nat. II 8 s. 6 § 32. 33. Juven. sat. VI 569. Macrob. in somn. Scip. I 19, 20. Virgil. Georg. I 336.

Planetarum illum ordinem ☉ ☾ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄, qui est in septem dierum appellatione, quum nusquam alibi repertus per se quam possit habere auctoritatem, intelligi nequeat, aliquo modo ex alio ordine deductum esse patet. Et unus tantum est, ex quo duci possit, illum dico, qui jam Pythagorae fuit, quem docuisse tradunt[1], Lunam terrae esse proximam, deinceps Mercurium, tum Venerem, Solem, Martem, Jovem, Saturnum sequi, quam ad sententiam eum celeritates, quibus planetae coelum percurrunt, observatae adduxisse videntur. Eundem planetarum ordinem esse postea Ptolemaeus statuit. Ex eo nominum diebus hebdomadis impositorum ordo pendet hoc modo: primum illius ordinis planetam in hebdomade sequitur ejusdem ordinis quintus, quintum secundus (= nonus, quoties enim in numerando ad finem seriei veneris, ab initio rursus incipiendum est), secundum sextus, sextum tertius (= decimus) etc., vel ordine inverso, ita ut Saturnus primum, Luna ultimum locum teneat, primum sequitur quartus, quartum septimus, septimum tertius planeta etc. Itaque aut Saturni dies aut Lunae est hebdomadis primus, et si ille est, sequitur dies tertii post Saturnum planetae, sin hic, sequitur quarti post Lunam.

Dio Cassius[2], qui hac de re prolixe disseruit, Saturni diem primo loco ponit et tertio post Saturnum planetae diem proximum dicit idcirco attribui, aut quod in vocum discriminibus musicorum diatessaron sit insignissimum — quae quidem opinio parum mihi arridet —, aut quod astrologi, Saturnum primae sui diei horae praeesse, Jovem secundae, Martem tertiae, Solem quartae, Venerem quintae, Mercurium sextae, Lunam septimae, rursus Saturnum octavae posteaque quintae decimae, vicesimae alteri, Jovem sextae decimae et vicesimae tertiae etc. praeesse rati, invenerint, primae proximi diei horae praesse Solem: eadem de causa tertium diem Lunae, quartum Marti attribui etc. Hac ratione nominum septem dierum a naturali planetarum serie ducendorum aptior

1) Plin. h. n. II 22 s. 20. § 84. Censorin. de die nat. c. 13.

2) Rerum Rom. lib. XXXVII 18. 19.

meo judicio vix potest excogitari. Si quis Lunam et ejus diem primum locum tenere malit, diem in sexaginta partes dividat[1], quo facto prima proximi diei pars quarto post Lunam planetae, h. e. Marti, obtinget.

Dio dicit, illum planetarum ordinem ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☾ ab Aegyptiis esse constitutum, sed quum is in monumentis aegyptiis, quantum ego scio, nusquam inveniatur[2], Dionem non veteres Aegyptios, sed astrologos graecos Alexandrinos dicere suspicor. Hebdomades saltem Aegyptii certe non instituerunt, quod Dio vult, nam ab iis planetas diebus praefectos esse monumentis neutiquam probatur, et ubi planetae in eis occurrunt, quinque tantum numero sunt, sole et luna omissis, qua de causa, quum Aegyptii (ut supra dixi) decadibus, non hebdomadibus dierum usi sint, aptius quis arbitrari possit, eos binos decadis dies singulis planetis attribuisse.

Illum planetarum ordinem supra dixi jam Pythagorae fuisse: post eum alii aliter planetas ordinatos putaverunt[3], et per astrologos Alexandrinos demum factum est, ut ille ordo Graecis omnibus et Romanis constaret. Itaque nomina dierum etiamnunc usitata non ita multo ante Chr. nat. aut inventa aut ex altero astrologiae domicilio, Babyloniam dico, in imperium Romanum translata esse mihi persuasum est. De rebus autem Babyloniis postea agemus.

Illius hebdomadis ex astrologia sumtae, primorum Caesarum tempore notae, memoria saeculis posterioribus certe exstincta esset, nisi eo, quod dies Solis a Christianis propter recordationem resurrectionis Christi celebrabatur[4], effectum esset, ut apud populos ad Christi fidem conversos omnes hebdomadis usus publicus fieret. Christiani nimirum non astro-

---

1) Quod nonnumquam fit apud astrol. Graecos, Aegyptios (Leps., *Chron. der Aeg.*, 128), Babylonios, Indos (Lassen, *Ind. Altertumsk.*, I 985).

2) Cf. Lepsius, l. l. p. 90 sqq.

3) Plato, Tim. p. 318 sq. (ed. Bip.). Epinomis p. 264 sq.: ☾ ☉ ♀ ☿ ♂ ♃ ♄, vel Plutarcho auctore (de plac. philos. II 15): ☾ ☉ ☿ ♀ ♂ etc. Cic., qui in somn. Scip. 4 Pythagorae consentit, alio loco (de nat. deor. II 4) sic: ♀ ☿ ♂ ♃ ♄.

4) Cf. Just. Mart. l. l.

logorum usu hebdomadis adducti septimo quoque die salvatoris ex mortuis resuscitati memoriam coluerunt, sed quia hebdomadis usum ab Hebraeis acceperunt. Nostra igitur hebdomas quasi coaluit ex hebraica et astrologica.

Forte idem dies, qui apud Judaeos sabbatum, apud astrologos dies Saturni fuit, unde dies Saturni et sabbatum (sabbata) apud scriptores Romanos idem valent et Rabbini planetam Saturni שַׁבְּתַי h. e. „(stellam) sabbaticam“ nuncupant. Forte illud contigisse dixi, quod astrologi diem, quo Judaei sabbata agebant, non ob eam ipsam rem Saturno dicasse credendum est. Nam Judaeis sabbatum ultimus, astrologis dies Saturni aut primus aut sextus hebdomadis dies erat, et quid astrologis cum Judaeorum sabbatis? Quum autem Saturnus regnasse diceretur aetate aurea, qua neque servitutem fuisse neque laborum molestiam homines pressisse poetae canebant, facile quis opinari potuit, Hebraeos, quippe qui diebus Saturni sese otio committere et servis et pecori quiescendi facultatem dare fas putarent, hos dies ab ipsis sabbata nuncupatos agitare Saturnum venerantes. Qua de causa Tacitus loco supra (pag. 13) allato pergit: „Alii honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus; seu quod e septem sideribus, quis mortales res reguntur, altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque caelestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant. Hi ritus quoquo modo inducti antiquitate defenduntur“; et Dio Cassius XXXVII 17 dicit: „*ὅτε ..... καὶ τὴν ἡμέραν τὴν τοῦ Κρόνου καλουμένην ἀνέθεσαν .....*“

Atque nunc quoque sunt, qui contendant, Hebraeorum sabbata principio Saturni fuisse dies festos[1]. Sed haec sententia, quamvis ingeniose eam maxime F. Baur studuerit probare, diligentius examinata omnis verisimilitudinis expers

1) v. Bohlen, *das alte Indien* (1830), II 244—252. Ferd. Baur, *der hebr. Sabbat u. die Nationalfeste des mosaischen Cultus, in Tüb. Zeitschr. für Theologie* 1832, III 125—192. Vatke, *die bibl. Theol. des A. T.* (1835), I 198 sqq. (Kūenen, *Godsd. van Isr.*, I 260 sq. 282).

reperitur. Quod his efficitur argumentis: Sint illa nomina dierum a planetis ducta priscae vetustatis. Ecquae fuit causa, quare dies Saturni prae ceteris insignis haberetur? Num Saturnus ut deus supremus cultus est? Cur igitur Hebraei Saturni diem ceteris praetulerint? Quibus sic occurritur: etsi non omnino nobilissimus Saturni dies habitus est, certe dies otii facile potuit fieri, quum Saturnus aetatis aureae, laboris molestia vacantis, rex fuisse diceretur. At ista Graecorum et Romanorum fabula neque apud gentes Semiticas, ubi Hebraeorum institutorum radices potissimum sunt quaerendae, reperitur, neque apud Aegyptios, qui Hebraeis certe propinquiores sunt quam Indogermani.

Praeterea neque *Κρόνος* Graecorum neque Saturnus Romanorum principio cum planeta posterius hoc nomine appellato ullo fuit vinculo conjunctus. Planetae enim a Graecis primo *φωσφόρος* (*ἕσπερος*) = ♀, *στίλβων* = ☿, *πυρόεις* = ♂, *φαέθων* = ♃, *φαίνων* = ♄ nominabantur: postero demum tempore, postquam Plato[1] semel Mercurii planetam *τὸν ἱερὸν Ἑρμοῦ λεγόμενον* dixerat, apud Aristotelem[2] primum ceteri planetae deorum nominibus nuncupati inveniuntur, inde ea nomina communem in usum venerunt[3]. Atque priusquam Saturni (*Κρόνου*) nomen planeta septimus accepit, nulla profecto cum eo aetatis praeteritae felicioris memoria fuit conjuncta. Quinimo etiam posteriore tempore semper habitus est sidus tristissimum, ideoque dies ejus ad servandam aetatis aureae recordationem minime aptus fuit.

Ferd. Baur Saturnum planetam censuit idcirco otii stellam fuisse, quod is inter planetas longissime distans a terra sideribus certis locis infixis vel coelo ipsi esset proximus ac medius inter fines rerum motu perpetuo agitatarum et rerum immobilium in aeterna tranquillitate permanentium, quam ob rem apud eum quasi aditus esset arcis coelestis. At haec Bauri potius sententia esse videtur quam populorum antiquorum,

---

1) Timaeus pag. 319 ed. Bip. 2) Metaph. XII 8.
3) E. c. apud Eratosthenem, Geminum.

quibus ille planeta luce austera lucens omnium ignobilissimus et minime sublimis visus est. Atque errat ille quidem, quum putat probari opinionem suam hac Celsi[1] narratione. Is de mysteriis Mithrae, Persarum dei, verba faciens in illis duas coeli sphaeras, h. e. inerrantium stellarum et errantium, animasque per eas transeuntes imagine exprimi dicit adhibita scala septem januis instructa, in qua summa sit janua octava. Primam januam ex plumbo factam esse, secundam ex stanno, tertiam ex aere, quartam ex ferro, quintam ex aere mixto, sextam ex argento, septimam ex auro. Januam plumbeam Saturno, stanneam Veneri, aheneam Jovi, ferream Mercurio[2], ex aere mixto fabricatam Marti, argenteam Lunae, auream Soli attribui. Quum janua in summa scala collocata appellata sit „octava", non dubito, quin „septima" sit illi proxima, prima infima, Baur igitur, qui plumbeam Saturni januam octavae proximam antecedere dicat, erret. Ceterum quum animae septimam januam intrantes ad finem itineris faciendi non perveniant, quoniam sequitur octava, septima illa quietis signum esse nequit. Idem ordo in septem moenibus Ecbatanae, urbis Medicae, cernitur[3]: murus enim urbem proxime cingens aureis, secundus argenteis, tertius puniceis, quartus caeruleis, quintus sandaracinis, sextus albis[4], extremus nigris propugnaculis instructus fuit, quos colores ad septem planetas spectare vix potest negari. In hoc quoque murorum ordine Solis orbis urbi ipsi proximus et finitimus est, in eo, ut dicit Herodotus, *τὰ βασιλήϊα ἔνεστι καὶ οἱ θησαυροί.* Jam ex eo, quod plumbum et color niger Saturno attribuuntur, apparet eum non altissimum et excelsissimum, sed gravissimum et funestissimum planetam habitum esse, quamquam

---

1) Apud Orig. contra Cels. VI 22 (p. 336 sqq. ed. Lommatzsch). Cf. Spiegel, *Eranische Altertumskunde*, II 86.

2) Janua ferrea et ex aere mixto facta a Celso sive Origene permutatae esse videntur. Martis janua profecto ferrea fuit.

3) Herod. I 98.

4) Herodotus sexto muro nigra, septimo alba propugnacula fuisse dicens errare videtur.

Baur recte monet, ne quis arbitretur, metalla illa pro caritate vel vilitate distributa esse: non enim, quod minimi pretii sit, plumbum Saturno est attributum, sed quod minime refulget et praeter aurum gravissimum est metallum.

Haec quidem de Bauri sententia. P. de Lagarde[1], sabbata principio fuisse dies festos „deae, quae vitae finem imponat", quam olim ab Hebraeis cultam esse (ut supra pag. 7 commemoravimus) ex voce שַׁבָּת conjecit, et Saturnum planetam jam antiquitus ab illis שַׁבְּתַי „sabbaticum" appellatum esse putans, arbitratur, „Phoenicum Arabumque catervas in Aegyptum effusas", quum Sanbatae et Saturni (cujus eaedem fuerint apud Aegyptios partes, quae apud illos Sanbatae) religiones coaluerint, Saturnum „ab eadem radice vocasse, unde Sanbata nomen traxerit, simul autem, ut sui se juris esse demonstrarent, Sanbatae diem in septimana ultimum esse statuisse, cum Saturni dies apud Aegyptios primus fuerit". At Aegyptii veteres, qui Saturnum planetam non praecipuo honore habuerunt[2], diem Saturni non distinxerunt, et nomen שַׁבְּתַי (quod non invenitur nisi in libris post Chr. nat. scriptis) posteriore illi tempore impositum esse, quum Judaei astrologiae operam dare coepissent, satis probabile est. Lagarde quidem planetae nomen שבתי antiquum esse eo credit effici, quod Epiphanius[3] de planetis disserens Jovem *Χωχὲβ Βάαλ* (= כוכב בעל) vocet, quae significatio eo tempore oriri non potuerit, quo nemo voce Baali uti ausus esset nisi longo sermonis usu excusatus. Sed minime sequitur, ut *Χωχὲβ Σαβὴϑ* ejus aetatis sit, qua Baali religio mentibus inhaerebat. Nonne vox שבתי posterius ficta in locum antiquioris nominis stellae substitui potuit?

Bohlen[4] Hebraeos olim Saturnum coluisse probaturus ad Amosum provocat, qui 5, 26 Israelitas olim in desertis Saturnum veneratos esse dicat. Est quidem mihi quoque

1) Psalterium Hieronymi, pag. 159.
2) Lepsius, *Chronologie der Aegypter*, I 93.
3) *Πανάριον* 16, 2 (p. 86 ed. Oehler).
4) *Das alte Indien*, II 244 sqq.

persuasum, illo loco כִּיּוּן = كيوان legendum esse (cf. imprimis quae Schrader proposuit in *Studien u. Kr.* 1874 I 324 sqq.) et Hebraeos aliquando Jehova contemto illum *Kêvânum* adorasse, sed Saturni Semitarum natura non ea fuit, ut dies Saturni quiete ageretur, quod infra demonstrabitur.

His rebus expositis satis mihi videtur probatum esse, errare illos viros doctos, qui Hebraeorum sabbata principio dies festos Saturni fuisse contendant.

Sequitur ut quaeramus, num apud ceteras gentes Semiticas sabbatorum aut hebdomadum vestigia exstent.

Caput IV.

Arabes hebdomadis usum ab Hebraeis accepisse, probavit Schrader in *Studien u. Kr.* 1874 I pag. 344 sqq.[1]. Idem illic[2] demonstravit, Aethiopes, quippe qui vocabulum ሰንበት (= ἑβδομάς) post illud demum tempus, quo libri divini in linguam eorum versi sunt, finxerint, quum interpretes librorum divinorum aethiopici et sabbatum et hebdomadem significaturi voce *sanbat* (h. e. שַׁבָּת) ab Hebraeis sive a Graecis (*σάββατον*) accepta usi sint, hebdomadis usum sero, fortasse a Christianis Alexandrinis didicisse.

Num Aramaeis hebdomades et sabbata fuerint, explorare nequimus, quum de rebus antiquis eorum parum per alias gentes, libris aramaicis satis vetustis nihil traditum sit.

Restat, ut quaeramus, num apud Babylonios hebdomadis sabbatique vestigia exstent. Quodsi quis sentiet, Hebraeos ante Mosen hebdomade usos esse et sabbata aliquo modo distinxisse, in ea terra, ex qua auctor ejus gentis venit,

---

1) Argumentis utitur hisce: nomen hebdomadis arabicum alterum أسبوع elif prosthetico fictum vocabulum peregrinum esse manifestum est, atque ex hebraico שְׁבוּעַ ortum esse videtur, sicut سبت ex שַׁבָּת: alterum سبوع alia tantum illius forma est. Fides sententiae additur eo, quod sextum diem Arabes interdum عروبة appellant, quam vocem ex aramaico-judaica עֲרוּבְתָּא, h. e. „vesper (ante sabbatum)“ fictam esse certum est. Accedit quod numerus septenarius apud Arabes non tanto in honore habebatur quam apud Hebraeos, quod inde maxime apparet, quod Arabum verbum jurandi non ut hebraicum נִשְׁבַּע a radice numeri septenarii derivatum est. Cf. quae a Schradero scripta leguntur in ZDMG XXVII (1873) pag. 405. 407, et a Brandis in „Hermes“ II 259 sqq.

2) pag. 352 sq.

hebdomadum sabbatorumque cujuscemodi usum inveniri pro certo habebit. Et vero illic certa et hebdomadum et sabbatorum vestigia non desiderantur. Supra diximus hebdomadem astrologicam fortasse in Babylonia ortam esse, jam videndum, eam reapse ibi ortam esse num possit probari.

Primum animadvertendum est, numeri septenarii honorem apud Babylonios multo majorem fuisse quam apud ceteros populos praeter Israelitas. Cujus rei haec sunt documenta:

1) urbs sacra *Uruk* (אֶרֶךְ) appellatur urbs VII sphaerarum: II R 50, 55 a.

2) orco VII portae esse dicuntur: IV R 31 Obv. 42—60.

3) nonnunquam VII vel XIV dii enumerantur: III R 69, 64 a. 64 c. 74 a.

4) daemones mali VII esse dicuntur: IV R 1, 13—26 c. 5, 12 sqq. a. 15, 15 sqq. a. III R 61, 15 b.

5) VII „homines piscarii", Beroso auctore, ut primos homines docerent, ex mari emersisse dicebantur.

6) divini illi spiritus, quibus *Igigi* nomen est, numero VII significantur.

7) unus ex planetis VII nominibus vocatur: III R. 57, 64a.

8) VII *ti-ik-pi*: II R 49, 13 c. d. III R 57, 52 a.

9) VII *.lu..ma..ši.*, III R 57, 56 a.

10) VII *ma-a-šu*: III R 57, 61 a.

11) bis VII dierum spatio diluvium contentum esse fertur: IV R 50, 19. 37 c.

12) eo finito sacrificaturus Chasisadra VII amphoras in ara ponit: IV R 50, 47 c.

13) lustrationes adspersionibus septies repetitis fiunt: IV R 26, 49/50 b.

14) VII nodi in arte magica adhibentur: IV R. 3, 5/6 b.

Sed minoris hoc argumentum ponderis ducimus: gravius est, quod VII planetae a Babyloniis, quos astrologiae studuisse multae tabulae res astrologicas exhibentes, quae in bibliothecae Sardanapali reliquiis inventae sunt, demonstrant, non modo diligenter observati, verum etiam in deorum numero habiti sunt. Quo factum est, ut planetarum ideogrammatis

saepius signum determinativum deorum nomina notans praemittitur quam illud, quo stellae designantur[1]. Solem et Lunam deos Babyloniorum fuisse notissimum est et plurimis locis probatur. Ceteros planetas paulo difficilius est in deorum Babyloniorum numero ostendere. Planetam, quem Graeci Veneri attribuerunt, quum eos constet a Semitis didicisse planetas deorum nominibus notare, consentaneum est apud Semitas fuisse deam amoris aut ejus proprium, apud Babylonios igitur Istaris. Probatur hoc eo, quod in tabula assyria planeta accadice *dil-bad* vocatus vespere *Ištar*, mane *Bêlit* nominari dicitur[2]: planetae autem non conspicui nisi aut vespere aut mane non sunt praeter Venerem et Mercurium, nec potest dubitari, quin de Venere illud, non de Mercurio dictum sit. Graecorum Marti *Ninêb* (*Adar*) aut *Nêrgal*, quorum uterque belli est deus, comparandus est. Qui autem Babyloniorum dii Saturno, Jovi, Mercurio? Ad hanc rem dijudicandam viri docti praecipue adhibuerunt nomina planetis a Mandaeis imposita, qui Mercurium *Enbu*, Venerem *Esterâ*, Martem *Nirig*, Jovem *Bîl*, Saturnum *Kêwân* appellant. Quum enim nomen *Enbu* ex assyrio *Nabû*, *Nirig* ex *Nêrgal* corruptione ortum esse videatur, conjiciunt, Babylonios Martem planetam cum deo *Nêrgal*, Mercurium cum deo *Nabû* miscuisse. Quod videtur probabile. Minus evidens est, nomine *Bîl*, quod Jovis est apud Mandaeos, Babyloniorum deum *Marduk* significari[3], qui sane interdum *Bêl* vocatus esse videtur, verum principio et plerumque etiam posterioribus temporibus diversus ab illo deus est. Saturnum dei *Ninêb* (*Adar*) planetam fuisse, inde praecipue concludere solent, quod, ceteris planetis illis diis distributis, *Ninêb* unus

---

1) Ideogramma deum significans stella est, stellae significantur signo ex tribus stellis composito. Quod sufficit ad probandum, Babyloniorum deos eo tempore, quo literae cuneatae inventae sunt, fuisse stellas, aut cum stellis arcto vinculo conjunctos.

2) Babylonii igitur non ignorabant, Hesperum et Luciferum unam esse stellam.

3) Schrader, *Studien u. Kr.* 1874 I pag. 341.

ex diis, qui planetis praeesse existimati sint, supersit. At qua re efficitur, Ninebum in eo numero fuisse?

Est tabula assyria, in qua undecim deorum ideogrammatis adscripti sunt hi numeri:

LX *ilu Anim.*
L *ilu Bêl.*
XL *ilu Éa.*
XXX *ilu Sin.*
XX *ilu Šamaš.*
VI *ilu Ramân.*
[XI][1] *ilu Marduk.*
[X]V[2] *ilu Ištar.*
L *ilu Ninêb.*
XIV[3] *ilu Nêrgal.*
X *ilu Gibil ilu Nusku.*

Quae tabula quo consilio sit scripta, non certo scimus, quum tertia parte sinistra defracta neque antecedentes eam partem, qua dii enumerantur, enuntiationes neque consequentes neque singulis diis adscriptae plane intelligi possint: verisimile tamen est, ad rem calendariam eam pertinere. Dii in ea enumerantur eodem ordine atque in initio annalium Salmanassaris II (Obel.), nisi quod etiam *Aššûr*[4] ibi occurrit primum locum tenens, *Gibil* autem (qui nostra in tabula deus a *Nusku* non diversus videtur esse et alias quoque idem est

---

1) Numerum hoc loco deletum ex inscriptione lapidi nigro Asarhaddonis insculpta novimus: vide I R 49 col. II 12 sq. Deus *Marduk* saepe scribitur signo = h. e. XI.

2) Prior numeri pars exstincta est, sed saepissime *Ištar* numero XV significatur.

3) = XIV, non = XII (Lenorm., Schrad.), qui numerus semper scribitur. Signum (= 10 + 2^2) idem esse quod (= 10 + 4) inde discitur, quod syllaba *bad*, plerumque signo notata, II R 32, 16b signo scribitur. Cf. sive = 3^3 = 9.

4) Schrader (l. l. 337) in nostra quoque tabula deum Assur scriptum esse dicens errat.

deus) omissus et *Ištar*, cui *Bêlit* est adjuncta, in fine posita est. Schrader[1] quinque deos postremos judicavit planetarum deos esse. Quae sententia, etsi nemini possit displicere, tamen eo, quod *Ištar*, *Nêrgal*, *Nusku* dii planetarum sunt, non satis firmatur. Equidem credo numeros[2], qui diis hic attribuuntur, diligenter circumspectos docere, Lunam et Solem et quinque illos deos vere fuisse deos planetarum, quod pluribus mihi verbis exponendum est.

Septem deos, quos planetis praefectos fuisse suspicamur, aliquo modo a ceteris distinctos fuisse, hoc demonstratur calculo:

Anu	60	*Sin*	30	*Ramân* 6.
Bêl	50	*Šamaš*	20	
Ea	40	*Marduk*	11	
	150	*Ištar*	15	
		Ninêb	50	
		Nêrgal	14	
	(*Gibil*)	*Nusku*	10	
			150	

Quum enim ex numeris deorum coeli (*Anu*), terrae (*Bêl*), aquae ac profundi (*Ea*) summa fiat CL, eademque summa ex numeris deorum *Sin*, *Šamaš*, *Marduk*, *Ištar*, *Ninêb*, *Nêrgal*, (*Gibil*) *Nusku*, non dubito, quin hae sint duae deorum majorum classes. *Ramân*, deus aëris et tempestatis, solus est, numero distinctus pari quinquagesimae parti summae ceterorum omnium. Illi septem dii facile duas in partes dividuntur, quarum utriusque summa LXXV est. Alterius partis quasi princeps est *Ninêb*, cujus numerus L est, alteri praesunt *Sin* et *Šamaš* (luna et sol), qui conjuncti eundem numerum habent. iis et Ninebo ceterorum deorum bini, jugati numerum XXV efficientes, aggregandi sunt: *Marduk* et *Nêrgal*,

1) l. l. 337.

2) Numeri deorum *Anu*, *Šamaš*, *Sin*, *Marduk*, *Ištar* non ita raro inveniuntur, ceteros ista tantum tabula habet. Origo eorum adhuc latet. Lunae numerus XXX esse videtur, quod mensis lunaris synodicus saepius XXX dies continet.

Iŝtar et *Nusku*. Hi numeri tam facile et apte ad planetarum rationes referri possunt, ut dubitare non queam, quin illi vere sint planetarum dii. *Ninêb* enim, Lunae ac Solis quasi aemulus, est Saturnus, alterius planetarum aciei dux, qui incessu magnifico terram amplissimo orbe circumgrediens a multis existimatus est planeta potentissimus. Idque etiam a Babyloniis, quod maximus demonstrat numerus ei attributus. Adjungendi sunt ei *Marduk* et *Nêrgal*, ceteri planetae superiores, qui perinde ac Saturnus per totam noctem et soli oppositi fulgere possunt. *Nêrgal*, belli deum, Martem planetam esse judico, sequitur ut *Marduk* Jupiter sit. Lunae ac Soli aggregati sunt *Nusku* et *Iŝtar*, planetae inferiores, qui (inter solem et terram cursum facientes) nunquam multum a sole distantes neque circa mediam noctem, sed vespere solum et mane conspiciuntur. Istar Venus est, Nusku Mercurius.

planetae superiores.	♄ *Ninêb*	50		☾ *Sin*	30	+ ☉ *Šamaš*	20	=	50
	♂ *Nêrgal*	14	25	planetae inferiores. ♀ *Iŝtar*			15		25
	♃ *Marduk*	11		☿ *Nusku*			10		
		75							75

In duabus tabulis[1] VII planetas enumeratos invenimus eodem in utraque servato ordine: 1) *ilu .sin.* 2) *ilu .ud.* 3) *ilu .dun..pa..ud..du.*(*.a.*). 4) *ilu .dil..bad.* 5) *ilu .lu..bad..sag..uš.* 6) *ilu .lu..bad..gũ..ud.* 7) *ilu .ni..bí..a..nu.* Sunt omnes significati ideogrammatis, quorum IV: Lunae[2], Solis[2], Veneris[3], Saturni[4], nota sunt. De ceteris est breviter agendum.

1) Tertium, postquam aliquamdiu viri docti Martis esse putaverunt, Oppert (cui assenserunt Ménant, *Syllabaire Assyrien*, II 354; Sayce, *Transact.* 1874 I 168; Schrader, *Studien u. Krit.* 1874 I 348) signum Mercurii putavit, quod significet „*le messager du jour levant*“. At hanc

1) II R 48, 48—54 a. b. (tabula vetustissima). III R 57, 65—67 a.

2) Saepissime inveniuntur.

3) Quod accadice enuntiatur *dil-bad*, h. e. Δηλέφατ (Hesych.).

4) Quod II R 32, 25 e. f. explicatur voce *ka-ai-ma-nu* (primus Oppert hoc invenit), cf. كيوان.

vim illa signa haudquaquam habent. Meo judicio Jovem significant, quod effici credo tabula III R 53 Nr. 2:

1.	*Ina piristi ilu* [*Marduk*]		
2.	*arḫu Nisânu*	*ilu .dun..pa..ud..du.*	*ilu Marduk*
3.	*arḫu Airu*	*ilu .ud..al..tar.*	*ilu Marduk*
4.	*arḫu Simânu*	*ilu ikû Bâbi-ilî*	*ilu Marduk*
5.	*arḫu Dûzu.*	*ilu da-pi-nu*	*ilu Marduk*
6.	*arḫu Âbu*	*ilu makrû*	*ilu Marduk*
7.	*arḫu Ulûlu*	*ilu .sag..mi..gar.*	*ilu Marduk*
8.	*arḫu Tišrîtu*	*ilu nîbiru*	*ilu Marduk*
9.	*arḫu Araḫšâmna*	*ilu rabbu*	*ilu Marduk*
10.	*arḫu Kisilimu*	*ul* ⟨⟨	*ilu Marduk*
11.	*arḫu Ṭêbitu*	*ul šarru*	*ilu Marduk*
12.	*arḫu Šabâṭu*	*ul rabû*	*ilu Marduk*
13.	*arḫu Adâru*	*ul nûn ilu Êa*	*ilu Marduk.*

---

14. [ ] *tin* (?) *zikru-šú ilu .šà..zu. mu-di-i lib-bi ilâni*
15. [ ] *šî* (?) *šú ilu .tu..tu. ša ina pân šarri igabbû*
16. [ ] *a. .gab..ḫu..kan..ma aš-šu šamî-i u irṣi-tim*
17. [ ] *pa-lum a-ḫa-miš .kan..nam. .ši..ku. ki-i igabbû*

1. „Ex decreto dei Merodachi.
2. „Mensis Nisan deus *.dun..pa..ud..du.* deus Merodach. etc. etc.
14. „. . . . nomina dei Merodachi scientis cor (corda) deorum
15. „. . . . deus Merodach, qui coram rege loquitur
16. „. . . . . ad coelum et terram
17. „. . . . . inter se . . . . . sicut loquuntur.“

Quo consilio haec tabula, cujus infimas lineas mutilas non penitus intelligo, scripta sit, latet, patet autem (vide imprimis lineam 14) deum Merodachum ejusque nomina designari[1]. Non stellas duodecim, sed unius duodecim nomina hac tabula contineri etiam eo probatur, quod aliis locis disci-

---

1) *ilu .šà..zu.* („cordis sciens“) et *ilu .tu..tu.* nomina Merodachi sunt. Cf. Delitzsch, *Ass. Lesest.* pag. 80.

mus, *dâpinu* et *.ud..al..tar.* eandem stellam significare quam *.dun..pa..ud..du.*: II R 48, 50 a. b. 51, 62 a. b. 49, 28 e. f. IV R 27, 48/50 a. Itaque *.dun..pa..ud..du.* planeta Merodachi est, hunc autem supra demonstravi deum planetae Jovis esse.

2) Stellae *.lu..bad..gũ..ud.* sive *.lu..bad.*, quae ideogrammata voce *bibbu* (i. e. „caper") explicantur: II R 48, 53 a. b. 39, 62 e. f. 49, 44 e. f. g., nomen est *kakkabu ṣalmu*, II R 57, 49 a. b., i. e. „stella austera", quo nomine alibi Saturnus appellari[1] videtur, cui etiam nomen *zibanitu* cum nostra stella commune est[2]. Eum esse Martem planetam dubium non est, quum hic et Saturnus soli luce rubida et minus clara fulgeant. Quodsi cui hoc argumentum minus firmum esse videatur, tamen sententiam ipsam aspernari non poterit, quum J. Epping[3], tabula signis cuneatis scripta, quae planetarum observationes anni satis certi exhibet, diligenter circumspecta, et constellationibus, quae illo anno contigerunt, ratione astrologica computatis, perspicue, ut mihi videtur, comprobarit, planetam 𒀭𒀭𒄀 (*.gũ..ud.*) non esse alium atque Martem. Itaque Opperti aliorumque sententia hanc stellam Jovem esse existimantium abjicienda est. Nititur ea opinio loco II R 47, 21 c. d, ubi planeta ille nuncupatur *muš-ta-ri-lu*, quam vocem nominis مشترى, apud Arabes Jovem significantis, principium esse contendunt. At *muštarilu* participium formae III, 2 radicis חרל$_1$ (حرل) videtur esse, cui vis „urendi" inesse non perperam dicitur (cf. hebr. חָרוּל „urtica"), et quis est, cui non verisimile videatur, stellam „urentem" esse Martem? Atque arabicum مشترى esse corruptum vocabulum

---

1) II R 49, 42 e. f. g, v. infra.

2) Nonnulla nomina ex rebus duorum planetarum propriis ducta iis communia sunt. *Kakkabu ṣalmu* non significat *τὸν ἀστέρα τὸν ἀμαυρόν*, sed *ἀστέρα ἀμαυρόν*, nam duo planetae austeri exsistunt. Nomine *makrû* appellantur et planeta *.dun..pa..ud..du.* (III R 53, 6 b) et *.ni..bi..a..nu.* (II R 49, 30 f). Vocabulum *.lu..bad.*, quod principio omnino „planetam" significat, etsi saepius nomen proprium planetae *.lu..bad..gũ..ud.* est, interdum (II R 57, 50 a. b) alium planetam significare non mirum.

3) *Stimmen aus Maria-Laach* 1881 fasc. VIII 282—292.

assyrium *muštarilu* non potest obtinere nisi qui antea alio argumento probavit, unam eandemque stellam vocibus illis significari. Hujus vero rei argumentum deest. Nam quae sit vis verborum *pid*(?)*nu ša šamí*, quibus planeta, de quo agimus, II R 26, 26 c. d. significari videtur, adhuc ignotum esse dolemus, et perperam profecto Oppert „solis orbitam eclipticam“ vertens Jovem iis significari arbitratur, quod ejus minus quam ceterorum planetarum cursus ab illa linea deflectat.

3) Denique ideogramma *.ni..bí..a..nu.* Mercurii esse existimo, quia eadem stella appellatur 𒀭, quod pronuntiandum est *piṣû*, II R 49, 7 e. f., i. e. „stella alba“, quod, quum Jupiter et Venus jam non restent, solius Mercurii nomen esse potest. Eidem stellae imponuntur nomina *.si..mu..ud.*, *.man..ma.*, *aḫu* „hyaena“, *nakâru* „inimicus“, *sarru* „malignus“, *limnu* „inimicus“, *šêlibu* „vulpes“, *zîbu* „lupus“, *.lul..la.*, *.lum..lum.*, *.dir.*, *makrû*[1], *miḳid išât* „torris ignis“, *balû* „non esse“, *amêlu .sa..gaz.*, *šanumma*, *amêlu nakru* „hostis“, *marṣu* „aegrotus“[2].

Itaque his locis VII planetae hoc ordine positos puto:

1)	*Sin*	☾ Luna
2)	*Šamaš*	☉ Sol
3)	*.dun..pa..ud..du..a.*	♃ Jupiter
4)	*.dil..bad.*	♀ Venus
5)	*.lu..bad..sag..uš.*	♄ Saturnus
6)	*.lu..bad..gũ..ud.*	♂ Mars
7)	*.ni..bí..a..nu.*	☿ Mercurius.

Qui ordo idem est atque ille, quem in tabula deorum nomina et numeros habente reperimus. Quo concentu non parva mihi videtur fides argumentationi meae addi. Atque quod gravius est, videmus istum planetarum ordinem apud Babylonios omnino constitisse. Alius in literis eorum adhuc non repertus est.

1) Quod etiam Jovis nomen est, v. supra pag. 31 not. 2.

2) Oppert ponit, *.ni..bí..a..nu.* esse Martem, quod ruber sit et colorem mutare dicatur. At neutrum dicunt literae cuneatae.

Oppert[1] quidem et eum secutus Schrader[2] contendunt, eum, qui est nominum dierum hebdomadis astrologicae, ordinem inveniri loco III R 57, 57—61 a. Ibi legitur: „Stella(e) „gemina(e) magna(e), stella(e) gemina(e) parva(e), stella(e) ge„mina(e), quae in latere stellae *sib-zi-na* versa(n)tur (*izazu*), „stella *.nin..sar.*, stella *Lubara rabû*, stella Nebonis, stella „regis, stella *.muš..ti..gaz.* (i. e. „serpens vitam delens"), „stella *zibana*: VII *mâšu*."

Quae Oppert sic interpretatus est:

L'étoile double grande.	
L'étoile double petite.	
L'étoile double, qui dépend de Régulus	*Soleil.**
L'étoile d'Anounit	*Lune.*
L'étoile de Nergal	*Mars.*
L'étoile de Nebo	*Mercure.*
L'étoile du Roi	*Jupitre.*
L'étoile brillante (Mustelil)	*Vénus.*
L'étoile Zibanit	*Saturne.*

Voilà les sept chefs des jours de la semaine (mâsi).

*) *Le soleil est désigné évidemment par les* trois *expressions.*

Stellam quidem Nebonis Mercurium, stellam regis Jovem[3] esse concedimus, stellam *Lubara gala* (*rabû*) Martem esse probabile est, stellam *zibana*[4] Saturnum etsi nequaquam certum, credibile saltem. At inde minime sequitur, ut *mâšu* significet „*chef des jours de la semaine*". Et quamquam quid significet nescio, illam, quam Oppert conjecit, significationem vocabuli *mâšu* esse pro certo nego. Quis enim potest credere, solem esse stellam geminam (!) ac magnam simul et parvam (!) et quae sit in latere stellae *.sib..zi..na.*[5]?

1) *Journ. As.* VI 18, 448.

2) *Studien u. Krit.* 1874 I 348.

3) Cf. supra pag. 30 sq.; quae Opperti argumenta fuerint, ignoro.

4) Cf. II R 49, 41 e. f. g: *kakkabu zi-ba-na* = *zi-ba-ni-tum* = *ilu .sag. .uš..an..ud.*, quod Saturnum significare potest.

5) Ut sit *sib-zi-na* hic scriptum pro *.sib..zi..an..na.* (Oppert): *.sib. .zi..an..na.* significare „*pasteur du troupeau céleste*" nego. *Sib* est „pastor", at *zi* haudquaquam „*grex*". Regulum hanc stellam esse Oppert non probavit. — Cf. Sayce, *Transact.* 1874 I 167.

Atque *.nin..sar.* deam *Anunit* esse quomodo probatur[1]? et si probatum esset, quomodo probaretur, stellam ejus esse lunam: quam a Babyloniis non deam habitam esse, sed deum, nemo ignorat. Porro stellam *.zir..ti..gaz.* (h. e. „serpens vitam delens“[2]) Venerem esse incredibile est.

Ille autem ordo ☾ ☉ ☿ ♀ ♄ ♂ ☿, quamquam a dierum ordine diversus est, tamen aliqua similitudine ad eum accedit. In utroque enim pari modo sibi succedunt ☿ ♀ ♄, et item ♂ ☿, qui hic post ♂ ♀ ♄, illic ante eos collocati sunt: lunae et solis ordo mutatus est[3]. Nec videtur fortuita ea duorum ordinum similitudo, sed alterius ex altero tracta origine esse effectus. Quum autem hebdomadis nostrae dierum series haud dubie ex ordine ☾ ☿ ♀ ☉ ♂ ☿ ♄ petita sit[4] et ex hoc babylonica dierum series duci nequeat, suspicandum est, babylonicam ex illa, quae in hebdomade nostra inest, ortam esse.

Hebdomadis astrologicae dierum series, ut supra (p. 17 sq.) demonstravimus, aut a Saturno aut a Luna incipit[5]. Atque quum in assyriis illis tabulis (v. p. 29) Luna primum locum teneat et Babylonios diem in LX partes dividisse non temere statuatur[6], ordinem babylonicum ex ordine ☾ ♂ ☿ ☿ ♀ ♄ ☉ ortum esse existimo. Quod hoc modo factum esse mihi videtur. Planetarum series locis II R 48 et III R 57 tradita excerpta est ex deorum serie, quam habet tabula numeros eorum exhibens. Quae non est antiquissima deorum series, et ante eam inventam non omnes planetarum dii in deorum majorum numero fuerunt (cf. II R 48, 28—39 a. b).

---

1) *Ištar* potius est: II R 54, 19 e. f. cf. 49, 12 a. b.

2) Oppert signa cuneata *muš-te-lil* pronuntiat, quod vocabulum assyr. esse arbitratur significans „candens“. Sed, ut cetera omittam, tertium signum ( ) non illud est, quod pronuntiatur *lil* (), sed ab eo satis diversum.

3) Cf. Schrader l. l. pag. 337.

4) V. supra pag. 17.

5) Ordo a Sole incipiens hebdomadibus astrologica et hebraica conjunctis ortus est.

6) Brandis, *Münz-, Mass- u. Gewichtssystem in Vorderasien*, p. 19.

Itaque quum ii omnes in hunc numerum reciperentur, planetarum ordo concurrit cum vetere ordine deorum *Sin* (☾), *Šamaš* (☉), *Rămân* (qui perinde constabat atque ordo deorum *Anâ*, *Bêl*, *Éa*[1]). Atque ne ille ordo longo usu tritus deleretur, *Šamaš* et *Rămân* post *Sin* (Lunam) in planetarum seriem inducti sunt in ea loca, quae antea Nergali et Nebonis (Martis et Mercurii) fuerant, hi autem in finem seriei translati sunt:



Si hoc modo planetarum ordo babylonicus: ☾ ☉ ♃ ♀ ♄ ♂ ☿ ortus est, sequitur, ut hebdomas astrologica jam antiquitus a Babyloniis (Accadiis) inventa sit. Verum in publico usu eam fuisse non probabile est, nam si fuisset, planetarum ordo vix potuisset illo modo turbari. Astrologos autem (sive sacerdotes?) semper ea usos esse putaverim, ita ut posterius eam ab illis accipere potuerint Aramaei et ab his Graeci ac Romani. Ceterum suspicandum est, astrologos simul cum ordine antiquo etiam immutato illo ordine in re astrologica usos esse, et alios fortasse vetere ordine magis magisque neglecto novo illo uti maluisse, quum alii antiquum tenerent. Certe notandum est, in tribus tabulis mutatum ordinem inveniri, antiquum adhuc in nulla. Quam ob rem non omnino repudianda videtur opinio, ordine planetarum illo modo mutato, dierum ordinem principalem ☾ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄ ☉ apud Aramaeos quidem et Phoenices (et Persas?), qui eum a Babyloniis acceperint, retentum esse, Babylonios autem jam solo mutato voluisse uti. Qui fortasse ideo non fortuitus atque temere factus videbatur, quod in eo planetae ita dispositi essent, prout magnitudine tunc existimabantur differre.

1) Cf. II R 48, 28—39 a. b. (Salm. Obel. 1 sqq.). Sanh. Bav. 1. V R 1, 14.

Dicat quispiam: quid est, cur is ordo planetarum babylonicus non principio hac ipsa ratione (magnitudinis[1] dico) constitutus minimeque ex serie ☾ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄ ☉ ortus esse existimetur? Quod minus probabile est, quia illa series luminum planetarum non satis certa est, ut ordinem planetarum inde duxisse Babylonios verisimile haberi possit. Accedunt haec. Ruinae templi Borsippensis, quae *Birs Nimrud* vocantur, cujus templi VII tabulata diversis coloribus singulis planetis attributa erant[2], docent ordinem ☾ ☿ ♀ ☉ ♂ ♃ ♄ Babyloniis fuisse notum, atque portae Thebarum[3], Boeotiae oppidi, a colonis Semiticis conditi, quippe quae septem diis planetarum, meridionalis Soli (Apollini), orientalis Lunae (Dianae), sequentes Marti, Mercurio, Jovi, Veneri, Saturno sacrae fuerint, demonstrant, etiam ordinem ☾ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄ ☉, ex illo ductum, jam antiquitus a populis Semiticis inventum esse. Thebarum conditores Phoenices fuisse verisimile est, Phoenices autem illum planetarum ordinem certe non ipsi invenerunt, sed ex Babylonia acceperunt, astrologiae et studii planetarum patria. Itaque probabile mihi videtur, Babylonios hebdomadem astrologicam invenisse, cujus primus dies Lunae esset, ultimus Solis[4].

In hebdomade astrologica sabbati (diei otio celebrandi) locus non est. Ultimus dies, sive Solis, sive Nebonis fuit, cur dies quietis fuerit, in horum deorum natura causa non invenitur. Dei autem *Nineb* dies (= dies Saturni) etiam

1) Sive pro luminis uniuscujusque copia. Lunam Soli antecedere oportuit, quod majore in honore fuit et noctu nullo lumine superatur, noctis autem lumina astrologi maxime curabant. Venus quidem interdum fulgore superat Jovem, Mars Saturnum, sed saepius Jovis et Saturni plenior lux videtur.

2) Infimum nigris (♄), secundum luteis (♃), III rubris (♂), IV aureis (☉), V albis (♀), VI caeruleis (☿), summum argenteis (☾) laminis inducta fuerunt (Henry Rawlinson). V. G. Rawlinson, the five great monarchies, II 546.

3) V. Brandis in „*Hermes*“ II 259 sqq.

4) Quam in opinionem solo templi Borsippensis testimonio adducerer. De portis Thebarum dubitatur, cf. Baudissin, *Studien zur semitischen Religionsgeschichte*, II 263 not.

alienior fuit a sabbati natura, quum Nineb, deus belli et venationis, non is esset, qui ad otium vocaret. Praeterea hebdomas astrologica in publico usu non fuisse videtur (cf. pag. 35). Itaque si sabbata qualiacunque Babylonii habuerunt, credi non potest, ea principio dies astrologicae hebdomadis fuisse, sed extra astrologiam Babylonios hebdomadibus usos esse suspicandum erit. Ac facile potuit oriri hebdomadum usus ex mense lunari quadripartito, cujus quum plerumque undetriginta dies sint, quarta pars circiter VII dies habet. Quae divisio mensis, etsi minus accurata fuit (una enim aut duae cujusque mensis hebdomades octonorum dierum erant, vel ultima invicem octo dierum aut novem), vitae quotidianae necessitati satisfecit, et equidem suspicor, ex talibus hebdomadibus, quas „lunares“ vocare licet, astrologicas esse ortas: quum enim astrologi animadvertissent, planetarum numerum numero dierum hebdomadum plerarumque esse parem, facile oriri potuit opinio, unicuique planetarum diem hebdomadis esse attribuendum, et quum octo (novem) dies cum planetarum numero non congruerent, hebdomades astrologicae septenos dies complectentes a lunaribus facile discesserunt. Hebdomadem quidem astrologicam in vitae quotidianae usu fuisse non verisimile mihi videtur, neque ullo literarum babylonicarum loco probatur (v. etiam pag. 35), sed aliquam hebdomadem, sive lunarem, sive talem, qualem Israelitae habent et nos, quam „sabbaticam“ vocare libet, vulgo notam fuisse inde conjicio, quod in initio fabulae VII daemonum malorum res gestas narrantis de iis dicitur: *ú ul-ul mêš dingir ǧulâmêš* (accadice, quod Assyrii in linguam suam sic verterunt: *úmí muttaḳputum*[1] *ilâni limnûti šunu*) „Dies in orbem euntes dei mali sunt“. Itaque VII illi daemones nihil aliud videntur esse quam dies hebdomadis in personas constituti.

Sabbata Babylonios otio celebrasse, imprimis demonstrat locus supra memoratus: *úmu nûḫ libbi* = *šabattum*, II R 32, 16 a. b: „dies quietis cordis = שַׁבָּת“.

---

1) Partic. I, 3 (iftaneal) verbi *naḳâpu* = hebr. נָקַף.

Nunc videamus, possitne cognosci, num certus (primus aut ultimus) dies hebdomadis lunaris fuerit sabbatum. Una tantum ad hanc quaestionem ex tabulis assyriis adhuc notis pertinet, ea quae IV R 32. 33 exscripta est. Est octava ex serie tabularum, quae fastos assyrios continebant. Ipsa exhibet fastos mensis intercalaris Eluli alterius [1]. Totam literis latinis transcriptam et in linguam latinam versam hic juvat proponere:

---

1) Constat Babylonios mensibus lunaribus synodicis et annis solaribus usos esse. Singulorum mensium lunarium sunt exacti numeri XXIX dierum XII horarum XLIV sexagesimarum: in communem vitae usum his mensibus alternis XXIX aut XXX (— interdum rationis consolidandae causa duo menses continuos tricenum dierum statui necesse fuit —) dies tribui oportuit. Itaque XII mensium lunarium spatium circiter X diebus XXI horis brevius est quam annus solaris, ad quem defectum explendum interdum tertius decimus mensis anno adjiciendus erat. Atque quum Babylonii lunae motus tam accurate observarint, ut ejus defectiones praedicere potuerint; quum mensis synodici et periodici spatia vix minus bene quam nostri astrologi noverint; quum annum solarem circiter CCCLXV dierum et sex horarum esse sciverint et aequinoctia diligenter servarint: non dubito, quin certa et circumspecta ratione mensem illum intercalaverint. Probabile videtur, eos periodo *Metonis*, quam vocamus, undeviginti annorum usos esse, qua nulla magis est ad hanc rem idonea. Undeviginti anni solares CCXXXV mensibus lunaribus synodicis pares sunt, ergo hoc temporis spatio septem menses sunt intercalandi. Mensem intercalarem Babylonii non semper post eundem anni mensem posuerunt sicut Athenienses, apud quos anno intercalari semper Posideonem mensem alter Posideon sequebatur, sed modo post sextum anni mensem (*Ulûlu*), modo post duodecimum collocabant. Post sextum positum »*Ulûlu* alterum", post duodecimum collocatum „*arḫu mak*(?)*ru ša Addâru*" vocabant. (— Nisano altero Babylonii nusquam usi esse videntur, quamquam III R 56 Nr. 5 legimus *arḫu Nisânu* II *gan ma*. —)

IV R 32. 33.

Col. I.

1. *! Arḫu Ulûlu II gan ûmu I gan ša ilu A-nim u ilu Bêl*
Mensis Elul II, dies primus, Anu et Beli
ûmu mâgiru 2. *i-nu-ma ina arḫi Sin innama-ru rê'u*
dies faustus. Quum in mense Luna conspicitur, pastor
niši ra-ba-a-ti 3. *nindaba-šu ṣabîta elli-ta a-na*
nationum magnarum donum suum, dorcadem puram ad
inbi 4. [ ] *nindaba-šu* 5. *ana ilu*
fructum [adjiciat??] donum suum
Šamaš Bi-lit mâtâti ana Sin ilu Rubat ú-kan 6. *ni-ki-i*
Soli, Belti terrarum, Luno, Veneri facito, libationes
ina-ki niš ḳâti-šu itti ili ma-ḫir
libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

7. *! ûmu II gan ša Ištarâti ûmu mâgiru šarru nindaba-*
Dies secundus, Venerum, dies faustus. Rex donum
šu 8. *ana ilu Šamaš Bi-lit mâtâti Sin ilu Rubat ú-kan*
suum Soli, Belti terrarum, Luno, Veneri facito,
9. *ni-ki-i ina-ki* 10. *niš ḳâti-šu itti ili ma-ḫir*
libationes libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

11. *! ûmu III gan nu-bat(?)-tu ša ilu Marduk ilu Zar-pa-*
Dies tertius, . . . Merodachi, Zarpa-
ni-tum ûmu mâgiru 12. *ina mûši ina pân Marduk u ilu*
nitae, dies faustus. Vesperi coram Merodacho et
Iš-tar 13. *šarru nindaba-šu ú-kan* 14. *ni-ki-i ina-ki*
Venere rex donum suum facito, libationes libato:
15. *niš ḳâti-šu itti ili ma-ḫir.*
sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

16. *! ûmu IV gan ûm .ab..ab. ša ilu Nabû (ilu Marduk)*
Dies quartus, dies . . Nebonis (Merodachi),

ûmu mâgiru 17. *ina mûši ina pân ilu Nabû iku Taš-mí-tum*
dies faustus. Vesperi coram Nebone, Tasmeta
18. *šarru nindaba-šu ú-kan* 19. *ni-ki-í ina-ki niš*
rex donum suum facito, libationes libato: sublatio
ḳâti-šu itti ili maḫir.
manus ejus apud deum grata erit.

---

20. *! ûmu V gan ša ilu Bêl-ékur u ilu Bêlit-ékur ûmu*
Dies quintus, Beli-ecur et Beltis-ecur, dies
mâgiru 21. *ina mûši ina pân Aššur ilu Bêlit* 22. *šarru*
faustus. Vesperi coram Assuro, Belte rex
nindaba-šu ú-kan 23. *ni-ki-í ina-ki niš ḳâti-šu*
donum suum facito, libationes libato: sublatio manus ejus
itti ili ma-ḫìr.
apud deum grata erit.

---

24. *! ûmu VI gan ša ilu Râmân ilu Bêlit ûmu mâgiru*
Dies sextus, Ramani, Beltis, dies faustus.
25. *šarru ši-gu-u lâ iša-si* 26. *ina mûši ina pân Râmân-*
Rex . . . ne dicito, vesperi coram Ramano-
kura ana ilu Râmân šarru nindaba-šu ú-kan 27. *ni-ki-í*
cura Ramano rex donum suum facito, libationes
ina-ki niš ḳâti-šu itti ili maḫir.
libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

28. *! ûmu VII gan nu-bat-tum ša ilu Marduk ilu Zar-*
Dies septimus, . . . Merodachi, Zar-
pa-ni-tum ûmu mâgiru 29. *ûm .ḫul..gâl. rê'u niši*
panitae, dies faustus. Dies . . . Pastor nationum
ra-ba-a-ti 30. *šíru ša pi-ín-ti ba-aš-lu ša tùm-ri ul ékul*
magnarum carnem super ignem assatam . . . ne esto,
31. *ṣubât pag-ri-šu ul unakka-ár ib-bu-ti ul iltabaš*
vestem corporis sui ne mutato, albas ne induito,
32. *ni-ḳu-u ul ina-ki šarru narkabta ul irakab*
libationem ne libato; rex currum ne conscendito,
33. *šal-ṭiš ul i-ta-mí a-šar pu-uz-ri amêlu .ḫal. pâ ul*
regaliter ne loquitor; loco secreto sacerdos (?) os ne

išaka-an 34. *.a..zu. ana marṣi ḳât-su ul ub-ḅal*
aperito (?), magus aegroto manum suam ne applicato,
35. *ana epêš arrati la na-ṭu* 36. *ina mûši*
ad faciendam exsecrationem ne esto propensus (?), vesperi
ina pân ilu Marduk u ilu Iš-tar 37. *šarru nindaba-šu ú-kan*
coram Merodacho et Venere rex donum suum facito,
ni-ki-i ina-ki 38. *niš ḳâti-šu itti ili ma-ḫir.*
libationes libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

39. *! ûmu VIII gan ûm .ab..ab. ša ilu Nabû ûmu mâgiru*
Dies octavus, dies . . Nebonis, dies faustus.
40. *ina mûši rê'u niši ra-ba-a-ti* 41. *ḳât-su*
Vesperi pastor nationum magnarum manum suam
ana kirru niḳâ uštišar 42. *ana ilu Nabû ilu Taš-mí-tum šarru*
ad hostiam adjicito (?), Neboni Tasmetae rex
nindaba-šu ú-kan 43. *ni-ki-i ina-ki niš ḳâti-šu*
donum suum facito, libationes libato: sublatio manus ejus
itti ili maḫir.
apud deum grata erit.

---

44. *! ûmu IX gan ša ilu Ninêb ilu Gu-la ûmu mâgiru*
Dies nonus, Ninebi, Gulae, dies faustus.
45. *ina mûši ina pân ilu Ninêb ilu Gu-la šarru nindaba-šu*
Vesperi coram Ninebo, Gula rex donum suum
ú-kan 46. *ni-ki-i ina-ki niš ḳâti-šu itti ili*
facito, libationes libato: sublatio manus ejus apud deum
maḫir.
grata erit.

---

47. *! ûmu X gan ša ilu Bi-lit-êkur u ilu Dânu ûmu mâgiru*
Dies decimus, Beltis-ecur et Danu, dies faustus.
48. *ina mûši ina pân kakkabu ṣumbi kakkabu apal-ilu-Rubat*
Vesperi coram stella „curru", stella „filio Veneris"
49. *šarru nindaba-šu ú-kan* 50. *ni-ki-i ina-ki* 51. *niš*
rex donum suum facito, libationes libato: sublatio
ḳâti-šu itti ili ma-ḫir.
manus ejus apud deum grata erit.

Col. II.

1. *! ûmu XI gan ša-lam ma-ni-ti ša ilu Taš-mí-tum u*
Dies undecimus, pax . . . Tasmetae et
ilu Zar-pa-ni-tum ûmu mâgiru 2. *í-nu-ma* *.mir. ur-*
Zarpanitae, dies faustus. Quando . . . . .
ri-iḫ-ti na-šú-u 3. *inbu ḫa-du-u šarru ina mâši nindaba-šu*
. . tollit, fructus (?) . ., rex vesperi donum suum
ana Sin ú-kan 4. *ni-ki-í ina-ki niš ḳâti-šu itti*
Luno facito, libationes libato: sublatio manus ejus apud
ili maḫir.
deum grata erit.

---

5. *! ûmu XII gan .si..gar. ša ilu Bêl ilu Bêlit ûmu*
Dies duodecimus, . . . Beli, Beltis, dies
mâgiru 6. *šarru nindaba-šu ana ilu Bêl ilu Bêlit ú-kan*
faustus. Rex donum suum Belo, Belti facito,
7. *ni-ki-í ina-ki niš ḳâti-šu itti ili maḫir.*
libationes libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

8. *! ûmu XIII gan ša Sin ilu Rubat ûmu*
Dies tertius decimus, Luni, Veneris, dies
mâgiru 9. *ilu Sin .mir. ur-riḫ-ti ana mâti na-šú-u*
faustus. Lunus . . . . . super (?) terram tollit,
10. *ûmu šu-a-tum ki-niš šarru nindaba-šu* 11. *ana ilu Šamaš*
eo die fideliter rex donum suum Soli,
Bí-lit mâtâti ana Sin ilu Rubat ú-kan 12. *ni-ki-í ina-ki*
Belti-terrarum, Luno, Veneri facito, libationes libato:
niš ḳâti-šu itti ili maḫir.
sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

13. *! ûmu XIV gan ša ilu Bêlit ilu Nêrgal ûmu mâgiru*
Dies quartus decimus, Beltis, Nergali, dies faustus.
14. *ûm .ḫul..gâl. rê'u nišî ra-ba-a-ti* 15. *šîru ša*
Dies . . . Pastor nationum magnarum carnem
ina pi-ín-ti ba-aš-lu ša tùm-ri ul êkul 16. *ṣubât pag-ri-šu*
super ignem assatam . . . ne esto, vestem corporis sui

ul unakka-ár ib-bu-ti ul iltabaš 17. *ni-ḳu-u ul ina-ki šarru*
ne mutato, albas ne induito, libationem ne libato; rex
narkabta ul irakab 18. *šal-ṭiš ul i-ta-mí a-šar pu-*
currum ne conscendito, regaliter ne loquitor, loco se-
uz-ri amêlu .ḫal. pâ ul išaka-an 19. *.a..zu. ana marṣi*
creto sacerdos (?) os ne aperito, magus aegroto manum
ḳât-su ul ub-bal 20. *ana epêš arrata la*
suam ne applicato, ad faciendam exsecrationem ne
na-ṭu ina mûši šarru nindaba-šu ana ilu Bêlit 21. *ilu*
propensus esto; vesperi rex donum suum Belti,
Nêrgal ú-kan ni-ki-í ina-ki niš ḳâti-šu
Nergalo facito, libationes libato: 22. sublatio manus ejus
itti ili maḫir.
apud deum grata erit.

---

23. *! ûmu XV ša ilu Bêlit-ê-ana epêš nikâsi ša*
Dies quintus decimus, Beltis-Eana, donatio (?)
Sin ilu Rubat 24. *ûmu mâgiru šarru nindaba-šu ana ilu*
Luni, Veneris, dies faustus. Rex donum suum
Šamaš Bí-lit mâtâti 25. *ana Sin ilu Rubat ú-kan ni-ki-í*
Soli, Belti-terrarum, Luno, Veneri facito, libationes
ina-ki 26. *niš ḳâti-šu itti ili maḫir.*
libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

27. *! ûmu XVI gan nu-bat-tum ša ilu Marduk ilu*
Dies sextus decimus, . . . Merodachi,
Zar-pa-ni-tum ûmu mâgiru 28. *šarru ši-gu-u lâ iša-si ina*
Zarpanitae, dies faustus. Rex . . . ne, dicito,
mûši ina pân ilu Marduk 29. *ilu Iš-tar šarru nindaba-šu*
vesperi coram Merodacho, Venere rex donum suum
ú-kan 30. *ni-ki-í ina-ki niš ḳâti-šu itti ili*
facito, libationes libato: sublatio manus ejus apud deum
maḫir.
grata erit.

---

31. *! ûmu XVII gan ûm .ab..ab. ša ilu Nabû ilu*
Dies septimus decimus, . .'. Nebonis,

Taš-mí-tum ûmu mâgiru 32. *ina mûši ina pân ilu Nabû ilu*
Tasmetae, dies faustus. Vesperi coram Nebone,
Taš-mí-tum 33. *šarru nindaba-šu ú-kan ni-ki-í ina-ki*
Tasmeta rex donum suum facito, libationes libato:
34. *niš ḳâti-šu itti ili maḫir.*
sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

35. *! ûmu XVIII gan isinnu ša Sin u Šamaš ûmu*
Dies duodevicesimus, . . . Luni et Solis, dies
mâgiru šarru nindaba-šu 36. *ana ilu Šamaš ilu Bí-lit mâtâti*
faustus. Rex donum suum Soli, Belti-terrarum,
ana Sin ilu Rubat 37. *ú-kan ni-ki-í ina-ki* 38. *níš*
Luno, Veneri facito, libationes libato: sublatio
ḳâti-šu itti ili maḫir.
manus ejus apud deum grata erit.

---

39. *! ûmu XIX gan ib-bu-ú ša ilu Gu-la ûmu mâgiru*
Dies undevicesimus, . . . Gulae, dies faustus,
40. *ûm .ḫul..gâl. rê'u niší ra-ba-a-ti* 41. *nin ša*
dies . . . Pastor nationum magnarum omne, quod
pênti bašlu ul êkul 42. *ṣubât pag-ri-šu ul unaka-ár*
igne assatum est, ne esto, vestem corporis sui ne mutato,
ib-bu-ti ul iltabaš 43. *ni-ḳu-u ul ina-ki šarru narkabta*
albas ne induito, libationem ne libato, rex currum
ul irakab 44. *šal-ṭiš ul i-ta-mí a-šar pu-uz-ri amêlu*
ne conscendito, regaliter ne loquitor, loco secreto sacer-
.ḫal. 45. *pâ ul išaka-an .a..zu. ana marṣi ḳât-su ul*
dos(?) os ne aperito, magus aegroto manum suam ne
ub-bal 46. *ana epêš arrati la na-ṭu*
applicato, ad exsecrationem faciendam ne propensus esto,
šarru nindaba-šu ana ilu Ninêb ilu Gu-la 47. *ú-kan ni-ki-í*
rex donum suum Ninebo, Gulae facito, libationes
ina-ki 48. *níš ḳâti-šu itti ili maḫir.*
libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

49. *! ûmu XX gan ûmu namru .sí..gar. ša Sin u*
Dies vicesimus, dies splendidus . . . Luni et

Šamaš úmu mâgiru 50. *šarru ana ilu Šamaš ilu Bi-lit mâtâti*
Solis, dies faustus. Rex Soli, Belti-terrarum,
ana ilu Sin 51. *ilu Rubat nindaba-šu ú-kan ni-ki-i ina-ki*
Luno, Veneri donum suum facito, libationes libato:
52. *níš ḳâti-šu itti ili maḫir.*
sublatio manus ejus apud deum grata erit.

Col. III.

1. *! úmu XXI gan epêš nikâsi ša Sin u Samaš*
Dies unusetvicesimus, donatio (?) Luni et Solis,
úmu mâgiru 2. *úm .hul..gâl. rê'u niši rabâti*
dies faustus. Dies . . . Pastor nationum magnarum
3. *šîru ša ina pi-ín-ti ba-aš-lu ša tùm-ri ul ékul*
carnem super ignem assatam . . . ne esto,
4. *ṣubât pag-ri-šu ul unaka-ár ib-bu-ti ul iltabaš*
vestem corporis sui ne mutato, albas ne induito,
5. *ni-ḳu-u ul ina-(ki) šarru narkabta ul irakab*
libationem ne libato: rex currum ne conscendito,
6. *šal-ṭiš ul i-ta-mí a-šar pu-uz-ri amêlu .ḫal. pâ ul išaka-an*
regaliter ne loquitor, loco secreto sacerdos (?) os ne aperito,
7. *.a..zu. ana marṣi ḳât-su ul ub-bal* 8. *ana*
magus aegroto manum suam ne applicato, ad
epêš arrati la na-ṭu ina ši-rim šarru
faciendam exsecrationem ne propensus esto, mane rex
nindaba-šu 9. *ana ilu Šamaš ilu Bi-lit mâtâti ana Sin ilu*
donum suum Soli, Belti-terrarum, Luno,
Rubat 10. *ú-kan ni-ki-i ina-ki* 11. *níš ḳâti-šu*
Veneri facito, libationes libato: sublatio manus ejus
itti ili ma-ḫi-ir.
apud deum grata erit.

---

12. *! úmu XXII gan epêš nikâsi ša (Sin u) Šamaš*
Dies alter et vicesimus, donatio (?) (Luni et) Solis,
isinnu ša Bêlit-êkalli úmu mâgiru 13. *šarru nindaba-šu*
. . . Beltis-ecalli, dies faustus. Rex donum suum

ana ilu Šamaš ilu Bí-lit mâtâti (ana Sin ilu Rubat) ú-kan
Soli, Belti-terrarum (Luno, Veneri) facito,
14. *ni-ki-í ina-ki niš ḳâti-šu itti ili*
libationes libato: sublatio manus ejus apud deum
maḫir.
grata erit.

---

15. *!úmu XXIII gan isinnu ša ilu Šamaš u ilu*
Dies tertius et vicesimus, . . . Solis et
Râmân úmu mâgiru 16. *šarru nindaba-šu ana ilu Šamaš u*
Ramani, dies faustus. Rex donum suum Soli et
ilu Râmân ú-kan 17. *ni-ki-í ina-ki niš ḳâti-šu*
Ramano facito, libationes libato: sublatio manus ejus
itti ili maḫir.
apud deum grata erit.

---

18. *!úmu XXIV gan isinnu ša ilu Bêl-êkalli u*
Dies quartus et vicesimus, . . . Beli-ecalli et
ilu Bêlit-êkalli úmu mâgiru 19. *šarru nindaba-šu ana ilu*
Beltis-ecalli, dies faustus. Rex donum suum
Bêl-êkalli u ilu Bêlit-êkalli 20. *ú-kan ni-ki-í ina-ki*
Belo-ecalli et Belti-ecalli facito, libationes libato:
21. *niš ḳâti-šu itti ili maḫir.*
sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

22. *!úmu XXV gan ša-ṭa-ḫu ša ilu Bêl ilu*
Dies quintus et vicesimus, praedicatio Beli,
Bêlit Bâbi-ili úmu mâgiru 23. *ina mûši ana ilu Bêl ina*
Beltis Babyloniae, dies faustus. Vesperi Belo
pân kakkabu .pin. ana ilu Bí-lit Bâbi-ili 24. *ina pân kakkabu*
coram stella . . ., Belti Babyloniae coram stella
ṣumbi šarru nindaba-šu ú-kan 25. *ni-ki-í ina-ki*
„curru“ rex donum suum facito, libationes libato:
niš ḳâti-šu itti ili maḫir.
sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

26. *!úmu XXVI gan .ru..í.* *ša ilu Ea*
Dies sextus et vicesimus, ... Eae,
ilu Rubat 27. *úmu mâgiru šarru ši-gu-u* [*la?*] *iša-si nin*
Veneris dies faustus. Rex . . . [ne] dicito, quodlibet
.ši..ḫar. úmu šúatú ina múši nindaba-šu 28. *ana ilu Ea ilu*
. . . hic dies, vesperi donum suum Eae,
Rubat ú-kan ni-ki-í ina-ki 29. *niš ḳâti-šu itti*
Veneri facito, libationes libato: sublatio manus ejus apud
ili maḫir.
deum grata erit.

---

30. *!úmu XXVII gan mí-lul-ta ša ilu Nêrgal*
Dies septimus et vicesimus, gloriatio (?) Nergali,
isinnu ša ilu Gur úmu mâgiru 31. *šarru nindaba-šu ana ilu*
. . . Gurae, dies faustus. Rex donum suum
Nêrgal ilu Gur ú-kan 32. *ni-ki-í ina-ki niš ḳâti-*
Nergalo, Gurae facito, libationes libato: sublatio manus
šu itti ili ma-ḫir.
ejus apud deum grata erit.

---

33. *!úmu XXVIII gan ša ilu Ea úm* *ša ilu*
Dies octavus et vicesimus, Eae, dies . . .
Nêrgal úmu mâgiru 34. *úm .ḫul..gâl. rê'u niší ra-*
Nergali, dies faustus, dies . . . Pastor nationum mag-
ba-a-ti 35. *šíru ša ina pi-ín-ti ba-aš-lu ša tùm-ri ul*
narum carnem, super ignem assatam . . . ne
êkul 36. *ṣubât pag-ri-šu ul unaka-ár* 37. *ib-bu-ti ul*
esto, vestem corporis sui ne mutato, albas ne
iltabaš 38. *ni-ḳu-u ul ina-ki šarru narkabta ul irakab*
induito, libationem ne libato; rex currum ne conscendito,
39. *šal-ṭis ul i-ta-mi* 40. *a-šar pu-uz-ri amêlu .ḫal. pâ ul*
regaliter ne loquitor, loco secreto sacerdos (?) os ne
išaka-an 41. *.a..zu. ana marṣi ḳât-su ul ub-bal*
aperito, magus aegroto manum suam ne applicato,
42. *ana epêš arrati la na-ṭu* 43. *ana*
ad faciendam exsecrationem ne propensus esto.

ilu Êa ilu Rubat [*šarru nindaba-šu*] *ú-kan* 44. *ni-ki-í*
Eae, Veneri [rex donum suum] facito, libationes
ina-ki niš ḳâti-šu itti ili maḫir.
libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

45. *! ûmu XXIX gan ûmu* *ša Sin*
Dies undetricesimus, dies . . . . . Luni,
46. *Šamaš ilu Igigi ilu A-nun-na-ki in-niš-ší-ru* 47. *ûmu*
Solis, Igigorum, Anunacorum . . ., dies
mâgiru šarru nindaba-šu ana Sin ilu Rubat ú-kan 48. *ni-ki-í*
faustus. Rex donum suum Luno, Veneri facito, libationes
ina-ki niš ḳâti-šu itti ili maḫir.
libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

Col. IV.

1. *! ûmu XXX gan ša ilu A-nim ilu Bêl ûmu mâgiru*
Dies tricesimus, Anu, Beli, dies faustus.
2. *šarru nindaba-šu ana ilu A-nim u ilu Bêl ú-kan* 3. *ni-*
Rex donum suum Aṇu et Belo facito, liba-
ki-í ina-ki niš ḳâti-šu itti ili maḫir.
tiones libato: sublatio manus ejus apud deum grata erit.

---

4. *! Arḫu Ulûlu II gan ištu ûmi I gan adi ûmi XXX*
Mensis Elul alter a die primo usque ad diem tricesimum
gan 5. *šarru lu ilu-šu lu ilu ištar-šu* 6. *lu ilâni-šu šul-*
rex .. deus ejus .. dea ejus .. dii ejus ..
bu-tu .ti. .ud..diš. šarru .bi. ilâni dannûti iba-ši
.. . . . rex .. dii potentes . . .

---

7. *! ina arḫi Ulûli II gan šarru* . . . . .
Mense Elulo altero rex . . . . .

---

8. *lu* . . . . . .
.. . .

---

9. *libbu-šu nu-ḫi* . . . . . .
cor ejus quietem (?).

---

10. *! ina arḫi Ulûli II gan šarru muḫ(?)-ru ud-diš . . . .*
Mense Elulo altero rex . . . . . .

11. *! Arḫu Tišrîtu ša ilu Šamaš ḳu-ra-du ka-la-ma ib . . .*
Mensis Tischri Solis bellatoris . . . . . .

12. *parṣâni ana ilu Bêl .lum..mu. ina ûmi I gan ša ilu*
mandata Belo . . . die primo
A-nim u ilu Bêl.
Anu et Beli.

duppu VIII gan  *ar-ḫi*
Tabula octava . . . mensis.

êkal m ilu Aššûr-bâni-pal šar kiššati šar mâtu Aššûr ki.
Arx Sardanapali, regis omnium, regis Assyriae.

Adnotationes.

Forte accidit, ut mensis intercalaris *Ulûlu* alterius fasti nobis servarentur, quum ceterorum mensium interirent, quod quidem perquam dolendum est. Nam si omnibus mensibus tricenos dies attributos videremus, jam non esset dubium, hos fastos ad omnes annos esse aptos (— idem mensis altero anno triginta, altero undetriginta dierum esse solebat —), quum in fastis ad unum tantum annum accomodatis sex aut saltem quinque menses undetricenum dierum esse necesse esset. Sed etsi non est plane demonstratum, verisimillimum certe est, ad omnes annos hos fastos pertinere, quum neque in initio neque in subscriptione tabulae, quam habemus, certi anni mentio fiat et parum probabile sit, Assyrios per vices annorum novos fastos conscripsisse.

In alia tabula in museo Britannico servata, quae duodecim mensium fastos nimirum multo breviores habet, omnibus mensibus triceni dies tributi sunt. Solis ideogrammatis (seu accadice) scripta est ideoque valde obscura. Ad nostram quaestionem non attinet, quum neque sabbatorum neque hebdomadum in ea reperiatur vestigium.

I 1. *úmu mâgiru* vel *úmu šêmu* transcribenda sunt signa (cf. II R 7, 28 g. h. 48, 43 a. b. Assurb. X 81), quae significare „diem faustum“ certissimum est. Dubitare licet, num in IV R recte omnes hujus mensis dies notam habeant, quae fortasse nonnullis locis, ubi tabula mutila est (cf. pag. 59 not.), a G. Smith perperam suppleta est. An re vera hujus mensis dies omnes fausti, itemque ceterorum mensium aliorum omnes fausti, aliorum infausti erant dies? (Cf. III R 52, 51—54 b.)

I 2 sqq. Diem Babyloniorum constat sole oriente incepisse. Primus mensis dies is fuit, cujus vespere se lunam novam conspecturos esse putabant. — *énuma* (*i-nu-ma*), cf. pag. 6 not. 5 fin. et *Tigl. I* (librum meum dico *„die Inschriften Tiglatpilesers I*, Lips. 1880), pag. 183.

I 3. *nindabu* a radice נדב ductum est, sicut *nirmaku* „patera sacrifica“ a רמך, cf. hebr. נדבה „donum, sacrificium (spontaneum)“. Ideogramma , rectius ()[1], explicatu minvenis

---

1) Liceat hoc loco proponere, quomodo signum , quod *manzazu* „solium, sellam“ significat (S[b] 267), ortum esse mihi videatur. Signum , „urbem“ significans, duobus cuneis interpositis significationem „solii“ accepisse, vix est probabile. non ex + , sed ex + () factum est et significat „lignum (*Geräte*) magnum“, accad. *giš-gal*. (Vides Accadios etiam enuntiasse *gal*.)

vocabulo *nindabu* V R 11, 1 d. e. f (cf. IV R 9, 32/33 a. Assurn. I 23). — De vocabulo *inbu* cf. *Tigl. I*, pag. 172.

I 5. *Rubat* nomen Veneris est significans „deam excelsam", cf. III R 41 col. II 21. De nominibus deorum alio libro agere mihi in animo est. — Pro *ana* dativum notante novies in nostra tabula legimus *ina pân* „in facie, coram".

I 6. *maḫir*, permans. verbi *maḫâru* „accipere, libenter accipere; gratum esse". Signum (*biš*, *piš*, *gir*) etiam syllabam *ḫir* (*ḫir* scribendam) significare, nostra tabula demonstrat, cf. III 11: *ma-ḫi-ir*. Ideogramma significat et *magâru* et *maḫâru*.

I 7. *Ištarâti* aut „Veneres" significat, nescio an Ninensem et Arbelensem (cf. *Tigl. I*, pag. 142), aut deas (*Tigl. I*, ibid.).

I 11. *nubattu*, etiam VII° die et XVI° praescriptum, explicari nondum potest. Cf. Assurb. IX 11, ubi tertius mensis *Âbu* dies vocatur „*nubattu* regis deorum Merodachi".

I 12. Plurimis diebus vespere immolare rex jubetur, solo die XXI° mane. Cf. Israelitarum sacrificia matutina et vespertina.

I 16. Dies *.ab..ab.* semper diem *nubattu* sequitur (die IV°, VIII°, XVII°); *ûm .ab..ab.* mensis *Šimânu* commemoratur Sarg. 49.

I 25. *šigû* = accad.  (A 12, col. II 2), quod „peccatum" significat (V R 11, 10 e. f. cf. IV R 10, 36/37. 42/43 a. 17, 49/50. 57/59 a). Diebus VI°, XVI°, XXVI° (decimo quoque die) rex diligentius, ut videtur, cavere jubetur, ne quid injustum vel improbum dicat (?).

I 29. *.ḫul..gâl.* vocabulum obscurum. In fragmento (numero non signato) carminis magici Frid. Delitzsch legere sibi visus est signa  in linguam ass. sic versa *ti-ri-iṣ ú-ba-ni*, quod significat „porrectionem digiti". III R 56, 33: *ûm .ḫul..gâl.* =  , quomodo complendum sit, nimis dubium est (*šú-lum* (??) - . . .). De rel. vid. pag. 57.

I 30. *péntu* „ignem" esse, ex eo conjicio, quod II 41 pro hoc vocabulo scriptum est, quod ignem significare constat. Hoc ideogramma II R 28, 55 e. f (pars tabulae antehac desiderata jam inventa et exemplar ejus a Frid. Delitzsch mecum communicatum) vocabulo *la'âbu* „flamma(re)" explicatur, et in linea antecedente legitur = *pi-ín-tum*, quod, quum eo loco plurium signorum „ignem" significantium fiat explicatio, et ipsum „ignem" significare probatum est. Etiam Theoph. Pinches *péntu* reddit vocabulo „ignis", cf. Proceedings of the Soc. of Bibl. Arch. XIII (1882—83) pag. 29 not. — *tumru* adhuc obscurum.

I 33. *šalṭiš* adv. vocabuli *šalṭu* a verbo *šalâṭu* ducti, cf. *Tigl. I*, pag. 143. — *puzru* „secretum", cf. Assurb. Sm. 231: „silvas *pazrâti*, quas nemo antea intrarat, milites mei ingressi sunt, viderunt *pu-uz-ra-šin*, . . . earum igne cremaverunt", cf. II R 23, 69 e: *mu-šap-zi-ir-tum* h. e.

„celans“ = „janua“. *Puzru* nomen formae فُعْل, *pazru* adj. formae فَعْل ab eadem radice ducta sunt. — *amêlu .ḫal.* (II R 31, 33 b) sacerdotum genus significare videtur, cf. Assurb. Sm. 182 f. IV R 67, 54. 56 b. — *šakânu pâ* „os facere“ verisimile est significare „colloqui, consiliari, agere cum aliquo“, cf. *Tigl. I*, pag. 157.

I 34. *.a..zu.* non „medicina“ est, sed „magus, propheta, רֹאֶה“, in fragmento ad mensis *Šabâṭu* fastos pertinente legitur *amêlu .a..zu.* (Pinches) (— proprie „is qui scientiam (*.zu.*) habet“ —), cf. RM III, 6 (a Frid. Delitzsch exscript.): *.a..zu.* =  = *ba-ru-ú* cum V R 13, 42 sq. c. d:

et S^{b} 202: *!.ú.* (var. *a* [Del.]) *.zu.* |  | *ba-ru-u.* (IV R 22, 41/42 b); *barû* significat „videre, conspicere, contemplari“, cf. Lay. 44, 14. 20. I R 28, 28 b. Assurb. Sm. 123, 51: *tabrît mûši Ištar ušabrâšu* „visio nocturna, quam Istar ut videret fecerat“. IV R 51 col. IV 22. Lay. 33, 18: *ana bît-ri-i lu-li-i ú-mal-li-šu* (cf. Neb. IX 31).

I 35. *arratu* scriptum est ideogrammate , quod etiam *ṣibûtu* legere licet, ita ut haec sit enuntiationis sententia: „ad faciendam necessitatem (ad desiderium explendum) non aptus est (scil. hic dies)“. — *lâ naṭûl*, cf. *Tigl. I*, pag. 129.

II 1. *manîtu* vel *maṣaltu* fortasse „bellum“ (cf. *ṣaltu* „pugna“?).

II 2. *.mir. ur-ri-iḫ-ti*, cf. III R 55, 22 b.

II 5. *.si..gar.*, cf. Assurb. Sm. 4, 12, ubi dies duodecimus mensis *Airu* vocatur: *ûmu mâgiru .si..gar. ša ûm Gula.* Fuit etiam magistratus nomine *amêlu rab .si..gar.*, II R 31, 33 a.

II 23. *epêš nikâsi* „facere dona“, cf. hebr. נָכַס; ideogrammata *nikâsu* esse legendum, docet V R 11, 4 e. f. g (ubi V R falso). = *ḳirbânu* (קָרְבָּן) „sacrificium“, S^{b} 241, = *šangû* „sacerdos“, ibid. 243, cf. *Tigl. I*, pag. 176.

II 35.  vertitur IV R 23, 1/2 b vocabulo ass. *i-sin-ni*, significare videtur „sollemne“. In tertia tabularum Nimrodi res gestas narrantium dicitur *isinnu* actum esse in urbe Erech, quum Eabani eo venisset. Cf. III R 55, 17 sq. b: a die primo usque ad diem quintum quinque dies *ûm .sar. ûm A-nu-ú*[1], ibid. 60 a.

II 41. , vide ad I 30 notata. —  pro *bašlu* non legi nisi hoc loco.

III 8. *šêru* = hebr. שָׁחַר, cf. V R 28, 37. 38 a. b cum V R 24, 2—4 c. d.

---

1) Hic locus evidenter docet, productam esse vocalem posteriorem nominis *Anû*, quamobrem legas *Anû* etiam in pag. 28 lin. 12 et 20.

III 22. *šaṭáḫu*, rad. שטח, „extendere, pandere, exhilarare, praedicare“, cf. Assurb. VIII 98: „(mensis *Símánu*) *úmu* 25 *gam ša-ṭa-ḫu ša ilu Bélit Bábíli*.

II 39. *ibbú*, cf. II R 43, 14 a. b: *i-bi-tum* = *ni-iḫ-tum*, h. e. „domicilium tranquillum“.

III 33. S^{b} 376 vocabulo *utulu*, h. e. „recumbere“, alibi vocabulo *rabáṣu*, h. e. „cubare“, alibi vocabulis *nádu* et *nakádu* redditur (II R 25, 73 g. h).

Ad pag. 33 lin. 7 et pag. 34 lin. 4 et not. 2.

Nuper Theoph. Pinches a me rogatus mihi scripsit, III R 57, 60 a falso scriptum esse  pro  . Cf. II R 19, 53—56 b. III R 66 Rev. 31. 32 b.

Quo facilius hujus tabulae argumentum possit considerari, iterum eam profero in breviorem formam redactam:

Fasti

I Dies	II festus.	III Dei (deae, deorum).	IV Sacrificium quotidianum faciendum quo tempore	cui deo.
1.	. . . . .	Anu, Beli	. . . .	Soli, Belti-terrarum, Luno, Veneri
2.	. . . . .	Venerum (s. dearum) .	. . . .	Soli, Belti-terrarum, Luno, Veneri
3.	*nubattu* . .	Merodachi, Zarpanitae	vesperi	Merodacho, Veneri . . . . .
4.	*úm .ab..ab.* .	Nebonis (Merodachi) .	vesperi	Neboni, Tasmetae . . . . .
5.	. . . . .	Beli-ecur, Beltis-ecur.	vesperi	Assuro, Belti . . . . .
6.	. . . . .	Ramani, Beltis	vesperi	Ramano-terrae Ramano . . . .
7.	*nubattum* . . *úm .ḫul..gāl.*	Merodachi, Zarpanitae	vesperi	Merodacho, Veneri . . . . .
8.	*úm .ab..ab.* .	Nebonis	(vesperi)	Neboni, Tasmetae . . . . .
9.	. . . . .	Ninebi, Gulae	vesperi	Ninebo, Gulae . . . . .
10.	. . . . .	Beltis-ecur, Dani . . .	vesperi	stellae „currui“, stellae „filio-Veneris“ . . . . .
11.	*pax*	Tasmetae, Zarpanitae .	vesperi	Luno . . . . .
12.	*.si..gar.* . .	Beli, Beltis	. . . .	Belo, Belti . . . . .
13.	. . . . .	Luni, Veneris	. . . .	Soli, Belti-terrarum, Luno, Veneri
14.	. . . . . *úm .ḫul..gāl.*	Beltis, Nergali	vesperi	Belti, Nergalo . . . . .
15.	. . . . . donatio (?) .	Beltis-eana Luni, Veneris	. . . .	Soli, Belti-terrarum, Luno, Veneri
16.	*nubattum* .	Merodachi, Zarpanitae	vesperi	Merodacho, Veneri . . . . .
17.	*úm .ab..ab.* .	Nebonis, Tasmetae . .	vesperi	Neboni, Tasmetae . . . . .
18.	*isinnu* . . .	Luni, Solis	. . . .	Soli, Belti-terrarum, Luno, Veneri
19.	*ibbá* . . . . *úm .ḫul..gāl.*	Gulae	. . . .	Ninebo, Gulae . . . . .
20.	dies splendid.	Luni, Solis	. . . .	Soli, Belti-terrarum, Luno, Veneri
21.	donatio (?) . *úm .ḫul..gāl.*	Luni, Solis	mane	Soli, Belti-terrarum, Luno, Veneri
22.	donatio (?) . *isinnu* . . .	(Luni,) Solis . . . . . Beltis-ecalli	. . . .	Soli, Belti-terrarum (Luno, Veneri)
23.	*isinnu* . . .	Solis, Ramani	. . . .	Soli, Ramano . . . . .
24.	*isinnu* . . .	Beli-ecalli, Beltis-ecalli	. . . .	Belo-ecalli, Belti-ecalli. . . . .
25.	*ṣaṭáḫu* . . .	Beli, Beltis-Babyloniae	vesperi	Belo (coram stella *.pin.*), Belti-Babyloniae (coram stella „curru“)
26.	*.ru..i..gār.* .	Eae, Veneris	vesperi	Eae, Veneri . . . . .
27.	*mílulta* . . *isinnu* . . .	Nergali Gurae	. . . .	Nergalo, Gurae . . . . .
28.	. . . . . *úm* . . . . *úm .ḫul..gāl.*	Eae . . . . . Nergali	. . . .	Eae, Veneri . . . . .
29.	*úm*	Luni, Solis, Igigorum, Anunacorum	. . . .	Luno, Veneri . . . . .
30.	. . . . .	Anu, Beli	. . . .	Anu, Belo . . . . .

Eluli alterius.

	V Alia sacrificia.	IV Interdicta.	V Qui dies sint fausti.
	Quando in mense luna conspicitur, pastor nationum magnarum donum suum, dorcadem puram ad fructum ...	. . . . .	Dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
(5)	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	rex *šigú* ne dicito	dies faustus.
	. . . . .	pastor nationum magnarum carnem super ignem assatam ... ne esto, vestem corporis ne mutato, albas ne induito, libationem ne libato: currum ne conscendito, regaliter ne loquitor, loco secreto sacerdos os ne aperito, magus aegroto manum suam ne applicato, ad exsecrationem faciendam ne esto propensus	dies faustus.
	vesperi manus ejus unum sacrificium	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
(10)	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	quando . . . . . tollit	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	[quando] Luna . . . . . super terram tollit, hoc die rex	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . . sicut die VII	dies faustus.
(15)	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	rex *šigú* ne dicito	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . . sicut die VII	dies faustus.
(20)	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . . sicut die VII	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
(25)	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	rex *šigú* ne dicito	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . . sicut die VII	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.
	. . . . .	. . . . .	dies faustus.

Tabula nostra, regis et sacerdotum commodo scripta, docet, quae iis unoquoque die mensis istius pro ipsius diei natura facienda quaeque non facienda sint. Quum autem regis sacerdotumque vita vitae civium non omnino dissimilis esse potuerit, licet conjicere similia his atque illis fuisse praescripta, quamquam probabile est, regi et sacerdotibus nonnulla fuisse mandata a ceterorum vita aliena.

Sabbatorum hebdomadumque vestigium satis certum hoc cernimus, quod dies septimus, quartus decimus, vicesimus primus, duodetricesimus interdictis insignibus distincti sunt[1]. Interdicitur regi quibusdam rebus ad commoditatem vitae pertinentibus: carnem super ignem assatam edere, vestes mutare, vestes albas induere vetatur. Quum non jubeatur jejunare, sed carne tantum super ignem assata abstinere, hujus causa interdicti videtur fuisse, quod nefas habebatur illis diebus coquere, quam ob rem ne regi quidem carnem assatam requirere licuit. Si haec est sententia legis, comparanda est cum praecepto Pentateuchi Ex. 35, 3: „Nolite ignem incendere in omnibus vestris domiciliis die sabbati". Sed licet sane etiam ita interpretari legem, ut ea vilium tantum ciborum usum illis diebus permittere videatur. Item vestimenta mutare aut ea de causa rex vetatur, ut quam minimum operae in vestimentis induendis illis diebus consumatur, aut quod non deceat vestimentis deinceps pluribus fortasse ostentationis causa se ornare. Hanc esse causam interdicti facile quis arbitretur eo argui, quod etiam vestimenta alba induere interdicatur. At hujus rei non necesse est eam esse causam, quod albae vestes insigniores et festiviores sint, quam quae illorum dierum naturae conveniant, sed licet conjicere, regem

1) Iisdem etiam undevicesimus, quocirca eum non minus recte sabbatum vocare possumus. Quum autem adhuc lateat, quam ob rem hic dies sabbatum factum sit, nec quidquam simile apud Hebraeos inveniatur, de eo non amplius agemus.

alba vestimenta nunquam mane, simulatque e lecto surrexerit, ideoque non induisse nisi vestitum mutando, hoc igitur vetito prohiberi, ne forte rex arbitretur, superius interdictum sibi esse neglegendum propterea, quod, ut negotium publicum facturus alba vestimenta induat, mos postulet: licet etiam sumere, albis vestimentis regem nisi certa negotia publica gerentem non amictum fuisse, et propterea, quod ea negotia die *.ḫul..gāl.* gerere nefas sit, vestimenta ad ea apta induere vetari. Libationem facere interdicitur, aut ne otium imperatum ne libando quidem interrumpatur, aut quod libatio diebus illis ut minus faustis non conveniat: curru vehi, aut quia non potest fieri sine hominum et equorum opera[1], aut voluptatis abjiciendae causa. Magus aegroto manum applicare vetatur, aut quia negotium quotidianum ejus est, aut quia vitae levationem affert.

Reliqua vetita quum verbis obscurioribus expressa sint, antequam ea tractemus, tentemus cognoscere, num illi dies fuerint animis abstinentia coercendis an otio destinati, et si otio, num ad tristem an ad festivam diei naturam otium pertinuerit. Quae ex interdictis adhuc consideratis non elucere vidimus.

Primum animadvertamus, illos dies (sicut ceteros ejusdem mensis omnes) proprio verbo faustos esse dictos, non igitur esse tristes vel atros. Dies autem fausti minime fuerunt ii, quibus corpus torqueretur, neque ii, quibus ab operibus desisteretur idcirco, ne male ea caderent[2]. Neque adversatur nomen *.ḫul..gāl.*, quod quum *.ḫul.* per se significet „malum“ et *.gāl.* „esse“, putet quis significare „malum esse“ sive „quod malum est“. At enim hoc perquam incertum est, quia duorum signorum cuneatorum copulatione vis utriusque communis haud raro omnino deleta videtur. Confitendum est igitur, quid significet *ûm .ḫul..gāl.* nos adhuc nescire. In tabula

1) Fortasse currus bellicus notatur eumque conscendere rex vetatur, ne bellum gerat die *.ḫul..gāl.*

2) Nec facile reperietur causa, cur septimus quisque dies infaustus habitus sit, quum numerus septenarius sacer fuerit.

III R 56 Nr. 4 id quidem videtur explicatum fuisse, sed ea ipsa tabulae pars, in qua explicationem scriptam fuisse suspicor, proh! deleta est.

Rursus memoratu dignum est, *.ki..ḫul.* (= *ki* „locus“ + *ḫul*) Assurb. VII 15 fieri posse ut significet „locum quietis“. Deinde vero nobis est reputandum, fuisse dies, quibus apud Assyrios nomen esset *šabattu*, quod sine ulla dubitatione idem sit atque שַׁבָּת Hebraeorum, Assyrios autem sane non alios dies nisi quos diximus ita distinxisse, ut Hebraeorum sabbatis possint comparari. Itaque licet conjectare, illos dies fuisse eos, quibus nomen erat *šabattu*: *šabattu* autem significat, ut supra commemoratum est, „diem quietis cordis“, ergo verisimile est, otio illos dies fuisse destinatos eique minime tristi. Nam otium quidem potuit imperari timore, ne quod die non fausto factum esset, male caderet, cordis vero quies non potuit nasci nisi ex pia diei fausti et felicis observatione[1].

Jam videmus illa, quae supra tractavimus vetita, ex eo profecta esse consilio, ne otium regis et sacerdotum interrumperetur. Reliqua si spectaverimus, quamquam penitus intelligere adhuc non possumus, tamen verisimile nobis videbitur, iis negotia ad rem publicam regendam pertinentia interdici. „Regaliter loqui“ probabile est significare „jus dicere“ vel „ad colloquium cives admittere“, *ašar puzri* conclave secretum, in quo consilia habebantur vel sacra publica procurabantur. De interdicto, ne magus exsecrationem faciat, suspicor, ejus fuisse quibusdam in causis homines aut res exsecrari, idque die sacro quietis fieri fas non fuisse. Quibus rebus perpensis pro explorato habemus, apud Babylonios dies *.ḫul..gāl.*, qui vocantur, otio fuisse accurate observando addictos.

---

1) Huic sententiae non obstat vetitum, ne rex libationem faciat. Mirum sane, quietem pluris aestimari libatione (secus haec res judicatur in Vet. Test.): sed vesperi, tempore operum, quod diebus *.ḫul..gāl.* otii esse debet, praeterito, die XXI° etiam mane, sacrificium quotidianum (quod plurimis diebus vesperi fiebat) fieri jubetur, unde cognoscimus, hos dies non esse profanos habitos.

Hos dies, excepto illo uno, die mensis XIX°, non forte senum dierum spatio discretos esse paret, nec quisquam dubitet, quin non fortuito ii ipsi sint dies *.ḫul..gāl.*, quorum numeri numero septenario ita dividi possint, ut reliquum non sit. Possit sane quis suspicari, in Elulo tantum (primo fortasse et altero) septimum etc. dies fuisse *.ḫul..gāl.*, in aliis autem mensibus alios, quod credendum sit, illos dies ita fuisse dispositos, ut non modo ii, qui unius mensis finibus circumscripti essent, sed ad unum omnes senum dierum spatio discernerentur. Sequeretur, ut mensis Tischri dies quintus et duodecimus etc. essent dies *.ḫul..gāl.* etc. At huic opinioni obstant duae rationes: prima, quod dierum anni lunaris numerus (354) septenario numero non omnino potest dividi, altera, quod idem annorum diversorum mensis modo triginta modo undetriginta dierum est (ut supra demonstravi pag. 38). Utraque re, si vera esset ista opinio, effectum esset, ut diversis annis diversi eorundem mensium dies essent *.ḫul..gāl.*, quum fastis quos habemus perennibus non potuerint nisi anniversarii dies inscribi. Itaque credimus, uniuscujusque mensis diem VII^{um}, XIV^{um}, XXI^{um}, XXVIII^{um} fuisse *.úm. .ḫul..gāl.*[1].

Hos dies tam insignes, senum plerumque dierum spatio praeterlapso revertentes cum hebdomadibus, quibus Babylonios usos esse existimamus, connexos fuisse pro certo habemus. Verisimile est, eos postremos hebdomadum dies fuisse. Hebdomades igitur babylonicae ita constitutae erant, ut singuli aut bini mensium dies duodetricesimum insequentes omnino neglegerentur, ut impediretur, quominus hebdomadum series a lunae luminum ordine omnino discederet. Itaque

1) Accedit hoc, quod nuper Theoph. Pinches mecum communicavit. Tabulae IV R 32. 33 exscriptae lineae multae sunt deletae. Quas G. Smith restituit comparatis fragmentis tabularum mensium aliorum fastos habentium, quum omnibus fragmentis circumspectis sibi visus sit cognosse, eosdem omnium mensium dies ejusdem generis festos fuisse et iisdem praeceptis s. vetitis distinctos. Cujus quidem sententiae non parva est verisimilitudo (cf. quae supra ad I 11. 16. II 5. III 22 notavimus). Inde colligendum, etiam dies *.ḫul..gāl.* eosdem fuisse omnium mensium dies.

hebdomades Babyloniorum quasi mediae erant inter lunares et sabbaticas.

Hebdomadem lunarem primam et secundam et tertiam uniuscujusque mensis iis diebus finiri necesse est, quibus luna aut plena aut dimidiata (crescens aut decrescens) conspicitur, h. e. die septimo, XIV°, XXI° vel XXII°, quartam autem pridie novae lunae. Itaque prima quidem incipit a nova luna, qua mensis initium constituitur, ceteri autem tres una cum ceteris insignibus lunae formis incipere non possunt, quia luna plena non quarto decimo sed tertio decimo die post novam lunam apparet, nisi forte aut pro nova luna coitum lunae et solis (quem hodie novam lunam appellant — *astronomischer Neumond*) substituis, ut dies quo luna et sol coeunt (non is, quo luna nova apparet) mensis hebdomadisque primus ac dies lunae plenae quintus decimus mensis dies sit, aut primam mensis hebdomadem sex dierum, alteram et tertiam septenum, quartam novem aut decem esse placet. Sed neque hoc neque illud ulli populo placuisse verisimile, Babyloniis neutrum placuisse certum est, qui primum mensis diem numerabant eum, quo lunam novam essent visuri, et quibus ut prima hebdomas ita altera septem dierum erat. Hae igitur duae hebdomades vere lunares possunt dici, quum tertia eorum mensium, quorum inter lunam plenam et dimidiatam octo dies erant interpositi, et omnium mensium quarta lunaribus hebdomadibus dispares, neglectis lunae formis, solis sabbatis post senos dies revertentibus constitutae fuerint.

Satis probabile est, hebdomades illas babylonicas ex lunaribus esse ortas, et ejus rei causa non videtur nisi sabbatorum natura fuisse, quae, quoad intra mensis fines fieri posset, septimo quoque die reverti quam a lunae luminum varietate pendere Babylonii maluerint.

Jam nobis offertur quaestio, qua re adducti Babylonii illa sabbata instituerint.

Caput V.

Ac facillime haec nobis incidit cogitatio, dies *.ḫul..gāl.* principio Lunae fuisse festos, et ea re parta sanctitate factum esse, ut labores intermitterentur. Sed avocat nos ab hac cogitatione ea ratio, quod lunae lumina satis idonea quidem videntur, quae homines ad mensis quadripartitionem adducant et quatuor partium initia designent, sed nova tantum et plena luna satis insignis, ut dierum festorum instituendorum causa esse possit. Praeterea dies duodetricesimus, quo luna non cerni solet, minime idoneus est ad eam colendam[1], contra maxime idoneus primus, quo luna nova conspicitur (quare eo die dorcas ei immolatur), sed is non est dies *.ḫul. .gāl.*, neque illis vetitis distinguitur.

Forsitan quispiam putet, Babylonios, otium, quo olim, quum Lunae cultus nobilissimus esset, diebus Lunae festis usi sint, posteriore tempore, quum plures deos non minus quam Lunam colerent, retentum principio ad Lunae cultum pertinuisse oblitos[2], sive propter numeri septenarii auctori-

1) En-Nedîm quidem tradit (Chwolson, *Ssabier*, II 8), apud Harranios ad sacrificia facienda hos IV mensis cujusque dies destinatos fuisse: diem novae lunae, lunae dimidiatae crescentis, septimum decimum, duodetricesimum. Sed, ut id verum sit, inde non potest colligi, diei duodetricesimi distinctionem ad lunae cultum pertinuisse. Nam quum plenae lunae dies in numero dierum illorum non sit, contra dies septimus decimus lunae lumine nullo modo distinctus, non est probabile, solis lunae formis illos ad eos dies eligendos esse adductos.

2) Id Babylonios esse oblitos, debebit ponere, quum fasti babylonici, quamquam Lunum crebro memorant, ejus cultum praecipue dierum *.ḫul..gāl.* esse, haudquaquam prodant.

tatem, sive alia de causa ordinem dierum otio distinguendo-'rum paulum mutasse. Cui opponemus, incredibile esse, Babylonios pro primo mensis die otio addicto substituisse duodetricesimum, nisi causa, quam gravissimam existimarent, moti diem otii septenum dierum non primum sed postremum esse optimum ac justissimum judicaverint. Causam vero illam apparet non potuisse a dierum Lunae festorum natura non alienam esse: eaque inventa jam certe inutile esset ad Lunae cultum tamquam principium sabbatorum recurrere.

Numeri septenarii sanctitate sola factum esse, ut illi dies otio distinguerentur, nemo putabit. Etsi enim subtiliter indagantes in eo numero rationes possumus invenire, quae quasi ad otii seu quietis notionem videantur tendere, tamen talibus cogitationibus adductos homines dies sollemnes instituisse non credibile est. Neque vero negamus, aliquid numeri sanctitatem in sabbatorum ordine constituendo habuisse momenti.

Sunt adhuc, qui putent, dies *.ḫul..gāl.* esse dies Saturni[1]. Quae opinio nititur in ipso nomine *.ḫul..gāl.*, quod „diem atrum“ significare vir doctissimus Sayce[2] defendit. Sed hanc ejus sententiam jam supra (pag. 57) refellimus. Adde quod minime probabile est, hanc Babyloniorum hebdomadem aut principio fuisse astrologicam aut ratione astrologica ex lunari esse ortam, quia hebdomadis astrologicae ordo ab ordine mensium lunarium abhorret, cum quo babylonicarum hebdomadum ordo necessario conjunctus est.

Jam propono novam sententiam, non tamquam exploratam eam quidem, at certe dignam, quae diligenter examinetur. Numerus senarius in Babyloniorum rebus crebro occurrit: est non modo dei *Rāmān* numerus ac deorum majorum numerum (306) sic dividit, ut nihil relinquatur, sed, id quod gravius est, in mensurarum ponderumque rationibus aliquoties et ipse inest et numerus sexagenarius: 1 sossos =

1) Cf. Robertson Smith, *the prophets of Israel* (1882), p. 384 sq.
2) *Records of the Past*, VII pag. 157.

60, 1 neros = 600, 1 saros = 6 ner. = 60 soss. = 3600; 1 hora = 60 sexagesimis etc.; etiam dies in sex partes dividebatur[1]; 1 talentum = 6 minis, 1 mina = 60 siclis; 1 *ḳanu* = 6 *ammâti* (cf. tab. Senker.) etc.; atque numero sexagenario Babylonios usos esse tamquam regula numerorum disponendorum (*Sexagesimal-System*) notum est. Itaque credibile mihi videtur, sex dierum spatium mensuram operarum fuisse, e. c. in mercenariis conducendis. Hinc facile, ut opinor, potuit fieri, ut operarii saepe septimo die ab opere cessarent et, quum crebro multi simul ad opus commune aggrederentur, multi septimo die simul otio se darent: atque hanc paulatim omnium consuetudinem factam esse, naturae rerum hominumque necessitati consentaneum est. Communis autem utilitatis erat, eosdem semper ab omnibus senos dies operae et labori eundemque septimum quemque diem otio tribui: atque, quod utilitas suasit, eo magis omnibus placuisse probabile est, quum septenarii numeri sanctitati septimi cujusque diei, sex priores labore consumtos insequentis, otio distinguendi officium facile videretur deberi.

Ita videlicet ordinem hebdomadum hebraico similem putares constitutum esse, nulla mensis, quem septenum dierum mensura non potuerunt dimetiri, ratione habita. Illud non esse factum, contra a nova quaque luna novum hebdomadum ordinem inceptum, sane mirandum est. Atque quocunque modo arbitraberis factum esse, ut sabbata instituerentur, certe mirum tibi videbitur aequabilem hebdomadum seriem mensium spatiis diversa ratione definitis turbari[2], praesertim vero, si hebdomadem mensuram operarum usitatam fuisse ponis. Quid enim e. c., si locandae erant operae sex vel septem hebdomadum, quod temporis spatium unum vel duo vel tres dies sexies vel septies septenum dierum numerum excedentes continebat? An placet his diebus quasi adscripticiis quoti-

1) V. Epping, *Stimmen aus Maria-Laach*, 1881 pag. 284.

2) Lunari mensi sabbata nexa fuisse non necesse est, nisi Lunae fuerunt dies festi. Lunae autem dies ea non fuisse, ante (pag. 61) demonstratum est.

dianos labores intermissos esse? cujus rei indicium quis possit putare paucitatem tabularum contractuum tribus ultimis mensis diebus (28. 29. 30) scriptarum (v. infra pag. 66). Si is fuerit usus, singulorum mensium erant quater seni, i. e. quatuor et viginti dies negotiosi, quorum senos sanctus otii dies sequebatur, supererat unus vel duo dies sive ad singularia quaedam negotia gerenda sive otio destinati. Neque inepte quis conjiciat, undetricesimum diem esse operae datum loco undevicesimi, quo extra ordinem sabbato utebantur. Ceterum nescimus, in rationibus operarum faciendis quam frequens et constans fuerit — si aliquis fuit — senum dierum mensurae usus; atque credibile est, in negotiis Babylonios solitos esse singulorum dierum operas computare, senum autem dierum operarum summas in animis quidem et cogitationibus hominum, qui ut mensurarum numerum, ut ita dicam, principalem (*Grundzahl*), h. e. senarium, etiam ad metiendas aestimandasque operas usuri essent, quasi natura ferebat, ita versatas esse, ut sex dierum operae iis plenus laboris modus videretur, eoque praestito sabbatum agere placeret, in negotiis vero eum modum neglectum esse.

Sed quoquo modo ista se habent, restat, ut explicetur, quibus rebus commoti Babylonii sabbatorum ordinem mensium ordine turbari passi sint. Cujus rei duae cogitari possunt causae. Probabile est enim, homines operas quasdam majores cum nova luna (ineunte mense) ordiri solitos esse, itaque novam lunam novi operarum temporis initium existimasse, quo etiam novam hebdomadem operis destinatam incipi necesse esset, etsi priore hebdomade finita jam unus vel duo dies praeteriissent. Deinde licet putare, hebdomades lunares jam antiquiore tempore in usu fuisse, easque, ad tempora accurate definienda, ut supra demonstravimus, minus aptas, exceptas esse hebdomadibus sabbaticis, aeque omnibus senos dies laboris et sabbatum continentibus, in quas illae transtulerint morem lunae luminum varietatem, quoad fieri posset, sequendi. Ab ea tamen aliquantulum recedi necesse fuit, si hebdomades non ipsis lunae

luminibus, sed certo dierum numero definire voluerunt: neque id potuit offendere, si, ut nosmet sentimus, dies hebdomadum lunarium primi vel extremi non erant dies festi dicati Lunae cultui, cui mutatus hebdomadum ordo et dierum hebdomadum extremorum festorum a lunae luminibus discessus officerent.

Itaque hebdomades sabbaticas non ad similitudinem lunarium sic instituerunt, ut quaternae hebdomades, quarum aliquae octo dierum essent, singulos menses complerent, quippe quum post senos dies laboris sabbatum, ideoque septenum dierum hebdomades desiderarent: sed, ut et cum unoquoque mense hebdomas inciperet et hebdomades fere lunae formis distinguerentur, unum vel duo dies post quaternas hebdomades quasi intercalando hebdomadum cum lunae ambitu concordiam restituerunt. Ceterum hebdomades tali modo mutatae cum lunae varietate eximie eo congruebant, quod quum ipsae fere quatuor lunae formis, tum dies inter quartam mensis prioris et primam insequentis mensis interjecti interlunio (luna obscura) distincti erant.

Ita existimo factum esse, ut singulorum mensium dies septimus etc. quieti destinarentur. Hoc autem modo si res progressa est, non potuit fieri, quin omnium civium esse videretur illis diebus otiari, atque etiam servis otium concedere fas putaretur.

Sed haec res incerta sit, illud dubium non est, Babylonios, senum dierum laboribus absolutis, septimum quemque diem quieti dare bonum ac justum existimasse. Quod etiam fabulae Nimrodi, famosissimi illius heroïs, res gestas narrantis testimonio probatur. Nimrodo enim in elysium proficiscenti XII *kasbu* iter est faciendum. Atque quum ex regum assyriorum annalibus noverimus, duo *kasbu* unius diei iter fuisse, videmus, sex dies illum dici in migrando consumpsisse, septimo cepisse elysii quietem[1].

1) Mirum quoque, quod Babylonii narrant, diluvium sex dierum et septem noctium fuisse, septimo die rediisse serenitatem et tranquillitatem.

Ceterum nolo tacere, illa sabbata septimo, quarto decimo etc. singulorum mensium diebus agenda non omnibus negotiis obstitisse. Quod hac mihi re videtur effici: ex DXL contractuum tabulis mihi notis[1], in quibus dies negotii adscriptus est, confectae sunt die mensis:

I 29,	IX 18,	XVII 11,	XXV 20,
II 21,	X 23,	XVIII 15,	XXVI 20,
III 18,	XI 14,	XIX 1,	XXVII 18,
IV 19,	XII 13,	XX 32,	XXVIII 8,
V 21,	XIII 23,	XXI 34,	XXIX 6,
VI 11,	XIV 15,	XXII 32,	XXX 5.
VII 17,	XV 32,	XXIII 22,	
VIII 14,	XVI 27,	XXIV 11,	

Unam moneo XXI° die Eluli alterius, quem sabbatum fuisse nullo pacto in dubium vocari potest, esse scriptam.

Sabbatorum in ea re rationem nullam esse habitam vides. Ad diem autem XIX, qui et ipse in fastis (nescimus qua de causa) eodem nomine et interdictis diei *.ḫul..gāl.* signatus est, una tantum ex illis tabulis pertinet, et paene crediderim, errasse Georgium Smith in illo die legendo. Apparet, hoc die feriari lege multo severiore fuisse imperatum, quae res quum per se admodum notabilis est, tum docet, diem undevicesimum ab ordine quatuor illorum dierum: VII^{i}, XIV^{i}, XXI^{i}, XXVIII^{i}, non sine jure a nobis separatum esse.

De commercio Babyloniorum quaerenti praeterea non neglegendum erit, quanta sit paucitas tabularum tribus ultimis mensis diebus effectarum[2], sed hoc ad propositum nostrum minus pertinet.

---

1) III R 46—50, cf. Smith, *the Assyrian eponym-canon*, pag. 83 sq.; Boscawen in *Transactions of the Soc. of Biblical Arch.* VI (1878) pag. 47—77.

2) Tabularum mensium singulorum numeri sunt hi: Nisan 53, Ijjar 62, Sivan 41, Tammuz 31, Ab 41, Elul 58, Elul II 10, Tischri 40, Marchesvan 29, Kislev 19, Tebet 31, Schebat 47, Adar 48, Veadar 21. Quum undevicenis annis septem menses intercalandi fuerint, fortasse tres Elul II,

Jam in medium protulisse mihi videor omnia, quae literae Babyloniorum et Assyriorum adhuc notae de hebdomade sabbatoque eorum produnt. Ex quibus intelligitur, habuisse illos sabbata, dies quiete distinctos, et, quod quidem verisimillimum est, diem septimum, quartum decimum, unumetvicesimum, duodetricesimum cujusque mensis sabbata fuisse iisque (regi ac sacerdotibus fortasse severius quam civibus) interdictum omnibus operibus, quae otio praescripto possent detrahere, contractuum tabulas tamen his quoque diebus multas scriptas esse. Etiam cognovimus, hos dies minime fuisse atros neque credendos esse Lunae festos: aliam de origine eorum opinionem proposuimus.

Itaque jam est probatum, sabbatum non omnino fuisse Israelitarum proprium, ergo apud eos tantum proprio modo conformatum emendatumque esse, atque Mosen, si jure sabbati israelitici auctor esse dicatur, tamen non primum id invenisse aut a Deo accepisse, sed religioni Jehovae accommodatum nova lege confirmasse ac sanxisse. Sunt quidem qui contenderint, sabbatorum israeliticorum naturam tam diversam esse a babylonicis, ut nullo affinitatis vinculo conjuncta esse videantur. Sic Robertson Smith[1]: „*The Sabbath as a day of joy stands in marked contrast to the unlucky seventh day of the Babylonians... The relation of the Hebrew Sabbath to the planetary week of the Babylonians, in which the seventh*

---

quatuor Veadar: illis $^3/_{19}$ his $^4/_{19}$ numeri, qui est illarum mensium communium tabularum, tribuendas esse putaverim. Mensis igitur Veadar multo plures habemus tabulas, quam calculo facto ei concesserim. Tabulis pluribus, quam ego potui, examinatis fortasse aliae rationes invenientur. — Intercalati sunt menses his annis: 597 a. Chr. (El. II), 595 (El. II), 583 (El. II), 568 (Vead.), 562 (Vead.), 559 (Vead.), 554 (Vead.), 552 (Vead.), 549 (Vead.), 545 (El. II), 543 (Vead.), 536 (El. II), 535 (Vead.), 527 (El. II), 516 (Vead.), 513 (Vead.), 510 (El. II), 508 (Vead.), 505 (Vead.). Ex his ratio intercalandi babylonica nondum potest cognosci. Mirum, quod semel biennio duo menses intercalati sunt, priore anno (536) Elul II, altero (535) Veadar.

1) *The prophets of Israel*, p. 384 sq.

day is connected with Saturn, is still far from clear."[1] Sed haec sententia jam est refutata, quum a nobis demonstratum est, neque atros neque Saturni dies fuisse Babyloniorum sabbata, neque sola hebdomade astrologica (planetaria) Babylonios esse usos.

1) Cf. Sybel, *histor. Zeitschr. N. F.* XI pag. 296.

LIBER ALTER.

Caput I.

Accedimus nunc ad alteram propositi partem investigaturi, num apud Israelitas sabbatorum observatio diversis temporibus fuerit diversa, an inde a Mosis aetate eadem semper fuerit aut modo paulum aliqua ex parte mutata sit. Atque tria hujus libri erunt capita, quum controversia sit, primum quos dies illi habuerint sabbata, deinde quo modo celebraverint, postremo quam causam crediderint sabbatis otiandi.

Primum quaeritur, utrum inde a Mosis aetate Israelitae septimum quemque diem sabbatum habuerint, mensium ordine in hac re neglecto, an proximis post illum saeculis iisdem semper mensium diebus illis sabbata fuerint sicut Babyloniis, a quibus sabbata primo inventa esse existimamus. Atque quum Babylonios sabbata semper septimo, XIV°, XXI°, XXVIII° mensis diebus egisse viderimus, ab iisque credamus Israelitas sabbata accepisse, quaerendum est nobis, num ante Mosen aut eo Israelitarum duce illa sabbatorum dispositio mutata sit, an prioribus post Mosen saeculis Israelitae morem babylonicum tenuerint. Illud multo verisimilius, paene dixerim certum duco. Nam quum nemo adhuc dubitaverit, certe posteriore tempore Israelitas septimum quemque diem sabbatum habuisse, in libris autem eorum mutatae sabbatorum dispositionis nulla exstet memoria, neque post Mosen tempus fuisse videatur, quo ejusmodi mutatio commode potuerit fieri, Mosis aetate eam aut antea factam esse judicandum est.

Nec quisquam id in dubium vocaret, nisi complures essent

Vet. Testamenti loci[1], quibus simul dierum lunae novae et sabbatorum ita mentio fit, ut ea ejusdem generis dies festos fuisse suspicari liceat. Inde orta est sententia, etiam sabbata principio Lunae dies festos fuisse. Quum autem Babyloniorum sabbata dies festos Lunae non fuisse supra demonstratum sit, neque probabile sit, Hebraeos sua sabbata postea Lunae consecrasse, haec sententia reprobanda est. Itaque si Hebraeis dierum festorum novae lunae celebrandorum et sabbatorum agendorum similis modus fuit (quum Babylonii diem novae lunae nullo modo sabbatis aequaverint), ea similitudo fuit quasi fortuita neque ab aequali utrorumque dierum natura profecta, ita ut res origine ac natura diversae similem praebuerint speciem.

Quaeritur autem, num hoc eo effectum sit, quod sabbata iisdem semper mensium diebus infixa fuerint, ita ut primus uniuscujusque mensis dies (i. e. dies novae lunae) sabbatum esset, sive ipse שַׁבָּת nomen accepit (ut scriptores „sabbata et novas lunas“ dicentes pluribus verbis idem dixerint ac si „sabbata“ tantum dixissent[2]), sive nomen חֹדֶשׁ tenuit. Quod certo negandum est. Nam si Israelitae sabbata semper iisdem mensium diebus egissent, profecto sicut Babylonii septimum, quartum decimum[3] etc. sabbata habuissent. Ita autem novae lunae dies a sabbato antecedente duorum vel unius, a sequente quinque tantum dierum spatio sejunctus fuisset, neque sabbato eo die agendo in illo sabbatorum ordine fuisset locus. Diem primum, octavum, quintum decimum, vicesimum alterum fuisse sabbata non potest credi, quum nulla reperiatur causa, cur dies VIII^{us}, XV^{us}[4] distincti sint.

Nihil igitur potest in cognoscenda causa, cur simili modo

1) Amos 8, 5. Jes. 1, 13. Ezech. 46, 1. 3. 2 Reg. 4, 23. Jes. 66, 23. — Et dies novae lunae et sabbata et sollemnia conjunctim memorantur Hos. 2, 13. Ezech. 45, 17. Neh. 10, 34.

2) Lemme, *die religionsgeschichtliche Bedeutung des Decalogs*, p. 61.

3) Dies septimus Israelitarum is est, qui vespere diei septimi Babyloniorum incipit etc.

4) Luna plena conspici solet nocte, a cujus initio dies incipit Hebraeorum XIV^{us}.

(id quod ex locis supra commemoratis fortasse jure colligitur) dies novae lunae ac sabbata celebrata sint, profici statuendo sabbata semper eosdem mensium dies fuisse. Atque sequitur, ut nihil iidem illi loci doceant de sabbatorum dispositione. Ceterum non difficile foret causam invenire, cur sabbata et dies novae lunae similiter ab Israelitis acta sint. Quum enim sabbatis et diebus novae lunae sacrificia quotidianis majora communia fuerint (nisi forte quis contendat, hoc quoque post exsilium demum imperatum esse, de qua re disputandi hic non est locus), non mirum est, si eadem aut simili ratione a populo celebrata sint. Verumtamen licet etiam putare, idcirco tantum dies novae lunae et sabbata saepius conjuncte memorari, quia utriusque generis dies festi omnibus mensibus, cetera sollemnia semel tantum per annum fiebant[1]. Atque Amosianum quidem illud probat, Amosi aetate etiam die novae lunae homines negotiis religiose abstinuisse, sed eo non cogimur putare, omnes lunae novae dies simili modo ac sabbata actos esse, verum licet credere, Amosi illud ad solam septimi mensis, h. e. mensis sabbatici, novam lunam spectare, quem diem etiam lex Pentateuchi otio sabbatico distingui jubet, et prophetam tantummodo propter parallelismum poeticum hunc diem, rarius sane mercatores avaros impedientem, memorasse.

Ceterum animadvertendum est, ut in antiquissimis libris, ita in recentioribus sabbata et novae lunae dies reperiri conjuncta, ergo falso suspicari quosdam, vetustioris libri eam rem esse signum.

Quibus rebus expositis probavisse mihi videor, post Mosen Israelitas semper septimum quemque diem sabbatum habuisse. Qui factum sit, ut ordo antiquus a Babyloniis

---

1) Ne quis putet, sabbatis quoque commercium et laborem ob eam causam intermissum esse, quod sacrificia et sollemnitas eorum dierum illis locum non praebuerint: quod nomine שבת et sabbatorum babyloniorum natura prohibetur. Satis autem probabile est, Israelitas diebus novae lunae commercio aliisque operibus se abstinere non fuisse coepturos nisi sabbatorum antea institutorum exemplo adductos.

traditus sive ab Israelitarum patribus[1], sive a Mose mutaretur, perdifficile est cognitu. Astrologicae hebdomadis respectu Hebraeos sabbata septimo quoque die reverti maluisse incredibile est, quia illam fuisse aut Hebraeis (vel Canaanaeis) notam, aut sabbatis ullo vinculo connexam non potest probari. Equidem aliam causam non reperio, nisi quod sabbatum imaginem existimarint quietis Dei post mundum sex diebus creatum septimo feriati. Credibile est enim, Hebraeos ex Babylonia egressos, quum hebdomades babylonicas servare hominum vagorum tum et certo rerum civilium ordine carentium minus interesset, credentes idcirco septimo die a labore abstinere fas esse, quod Deus septimo die ab opere mundi creandi conquievisset, septimum quemque diem nunquam plus sex diebus interpositis sabbatum fecisse, deficiente jam causa, cur initium mensis etiam hebdomadis initium esse deberet.

Quod iis sane displicebit, qui posteriore demum tempore, fortasse post exsilium babylonicum, Hebraeos sensisse, Deum sex diebus mundum creasse septimoque quievisse, contendunt, verba „nam sex diebus Jehova fecit coelum et terram etc.“ legi quartae decalogi sero inserta esse rati. De qua re postea in tertio hujus libri capite fusius disputandum erit. Hic satis est demonstrasse, non esse causam, cur dubitemus, Israelitas jam Mosis aetate eum sabbatorum ordinem habuisse, qui etiam nunc a Judaeis servatur.

---

1) Vel a Canaanaeis, qui fortasse ante Abrahamum hebdomade usi sunt a Babyloniis accepta.

Caput II.

Sequitur, ut videamus, quemadmodum sabbata ab Israelitis diversis temporibus celebrata sint. Hoc quidem constat, semper ab illis creditum, otio esse sabbata distinguenda: dubium vero est, num jam inde a Mosis aetate graviores omnis generis labores sabbato intermittere universis Israelitis praescriptum fuerit, an prioribus saeculis solorum agricolarum et fortasse opificum mos fuerit sabbatis otiari, quae est Julii Wellhauseni sententia dicentis[1] e. c.: „.... *der Sabbath ... eine Einrichtung speciell für den Ackerbau*", „*Hergebracht scheint also nur die Enthaltung von der Feldarbeit und vielleicht von der professionellen Hantirung gewesen zu sein*".

Antiquissimos quidem Vet. Testamenti locos, quibus de sabbato agitur, in Pentateucho inesse nobis persuasum est: quum vero de plurimarum ejus libri partium origine controversiae sint nondum diremtae, non illis principio ac fundamento disputationis utendum est, sed primo quae libri a prophetis et aliis rerum scriptoribus scripti de sabbatis observatis prodant et de servandis admoneant, consideranda sunt.

Pentateucho igitur omisso antiquissimum locum, quo sabbatum memoratur, in Amosi prophetae libro reperimus (8, 4. 5): Audite hoc, qui inhiatis pauperem et studetis perdere humiles terrae. Dicentes „Quando praeterierit dies novae lunae, ut frumentum venditemus, et sabbatum, ut annonam venum demus: minuentes epha et augentes siclum et librae fraudulentas inclinantes lances". Ex quo cognoscimus,

1) *Geschichte Israels*, I 117. 118.

saeculo octavo sabbata ut dies quietis diligenter esse observata. Nam quum commercium intermitteretur, profecto aliis quoque laboribus et maxime opere agresti abstinere fas putabatur. Num lege omnibus nota et probata quies fuerit imperata, non docet ille quidem locus, sed mos certe eam postulabat, quem nemini licebat neglegere. Quam ob rem mercatores avari finem sabbati desiderant, ut ad negotia, quorum lucrum fraude callent augere, reverti possint.

Hoseae ore (2, 13) Deus populo, quem terra sua expulsum iri praenuntiat, sic minatur: Et tollam omnem voluptatem ejus, diem festum et novam lunam et sabbatum et cuncta ejus sollemnia. Quae verba dilucide docent, sabbata non fuisse dies tristes, neque otium iis debitum prohibuisse hilaritatem hominum ac festivitatem, at non demonstrant sabbata ita soli laetitiae addicta fuisse, ut non abstinere quoque labore his diebus officium esset.

Jesaja (1, 13. 14) docet, sabbatum fuisse diem festum non profanum sed Jehovae sacrum his verbis. Nolite pergere donum offerre vanum, suffimentum foedum mihi est: nova luna et sabbatum, conventus convocatus — non possum ferre impietatem conventumque sollemnem. Dies novae lunae vestros et sabbata odit animus meus, facta sunt onus mihi impositum, ferre me piget. In templo igitur Hierosolymitano sabbato fit conventus ecclesiae, sabbatum dies est Jehovae festus. Haud dubie ibi immolabatur, et certe haec ipsa sacra sabbatica sunt id, quod Jehova propter offerentium improbitatem non amplius vult accipere. Minime vero licet putare, Jesajam otium sabbaticum s. lege s. more imperatum ignorare aut contemnere. Wellhausen[1] quidem ponit, Jesajam illis verbis dicere sabbatum mere sacrificandi diem: rectius diceret, vituperari sabbatum a propheta duntaxat ut diem sacrificandi. Otium, quo sabbatum distinguendum jam tum creditum esse constat, necesse est Jesajam novisse: quum non vituperet, existimandum, id ipsi non displicuisse.

1) l. l. I 118.

Post eum Jeremia (17, 21—27) de sabbato loquitur: Cavete animis vestris noliteque ferre onus die sabbati et portare in portas Hierosolymorum. Neve feratis onus ex domibus vestris die sabbati et omne negotium nolite facere et sancte agite diem sabbati sicut imperavi patribus vestris: neque audierunt neque praebuerunt aures et rigidos fecerunt cervices non audituri neque passuri disciplinam. Et accidet, si me audietis, dictum Jehovae, ut non portetis onus in portas hujus urbis die sabbati, et sancte agetis sabbatum neque facietis eo omne negotium: venient in portas urbis hujus reges et principes sedentes in solio Davidis, vecti curribus et in equis cum principibus suis, viris Judaeis et incolis Hierosolymorum, et incoletur haec urbs in aeternum. Et venient ex urbibus Judaeae et ex vicinis Hierosolymorum et ex terra Benjamin et ex locis demissis et montanis et ex terra meridionali apportantes holocausta et sacrificia et cibaria et suffimentum et apportantes laudes domum Jehovae. Sin vero non audietis me sancte acturi diem sabbati et non laturi onus et venturi in portas Hierosolymorum die sabbati: ignem incendam in portis vestris, qui consumet turres Hierosolymorum et non restinguetur. Adhortatur Israelitas Jeremia, ut sabbata sancte agant ab opere omnis generis (כל מלאכה) abstinendo, maxime ab oneribus portandis, statuens Jehovam id patribus imperasse.

Apparet prophetam hic sicut crebro (11, 4. 32, 21. 22. 23. 7, 23. 34, 13 sqq.) ad leges Mosaicas, leges foederis inter Jehovam et populum ejus intercedentis (34, 13 sqq.) provocare. Num unam certam ex legibus ad sabbata pertinentibus spectet et quam, sane perspicere nequimus.

Apertum est autem, legem, ut sabbato otium sit, jubentem Jeremiae aetate saepe violatam esse, et jam a patribus eam

non esse servatam propheta queritur. Ex quo neutiquam efficitur, admodum novum fuisse illud praeceptum, cui patres non potuerint parere, quia (quod ipsis Deum imperasse dicit propheta!) non noverint[1]. Nam ex illo Amosi didicimus, jam centum et quinquaginta annis ante commercium et (id quod ex eo colligimus) opera omnia sabbatis intermittere moris fuisse. Ne hoc quidem ex verbis Jeremiae potest colligi, accuratius perfectiusque ipsius aetate otium sabbatis servandum postulatum esse. Nam onera ferre, quod maxime ille vetat, antea, quum vendere nemo auderet, licitum fuisse incredibile est. Atque quo jure possit ex oratione Jeremiae concludi: „*Hergebracht scheint also nur die Enthaltung von der Feldarbeit und vielleicht von der professionellen Hantirung gewesen zu sein*“[2], vix quisquam intellexerit. Immo vero labores graves ut onera ferre censeo ante omnia esse sabbatis omissos, et quum cives Jeremiae religionem Jehovae contemnentes non puderet onera sabbatis ferre, certe alios labores facere etiam minus veriti sunt.

Ezechiel sicut Jeremia queritur, cives suos sabbata contemnere. Peccata Oholae et Oholibae narrans sabbata neglecta acrius reprehendit (23, 38) et principum scelera increpans dicit (22, 8) „sacra mea diripuisti et sabbata mea profanasti“. Etiam in eo, quod jam priores Israelitarum aetates sabbata contempsisse dicit, concordat Ezechiel cum Jeremia. Quin etiam plane dicit (20, 10 sqq.), Deum Israelitis ex Aegypto in desertum eductis ibi praecepta et jura sua proposuisse, „quae homo faciat, ut iis vivat“, ac pergit: „Et sabbata mea iis dedi, ut signum essent inter me et eos, ut sciretur me, Jehovam, esse eos sanctificantem. Tum contumax fuit adversus me domus Israelis in deserto, secundum praecepta mea non vixerunt et jura mea spreverunt, quae

1) Quae Wellhauseni (*Geschichte Israels*, I 118) sententia videtur esse.

2) Wellhausen, l. l.

homo faciat, ut vivat iis. Et sabbata mea vehementer profanaverunt. Tum dixi, iram meam effundere me velle in deserto, ut eos perderem". Sed ne nomen suum profanaret ante oculos gentium, quae vidissent, quomodo ex Aegypto Israelitas educeret, Deus clementia usus iis pepercit. Filii vero eorum male paruerunt sicut patres, „secundum praecepta mea non vixerunt et jura mea non servaverunt ... et sabbata mea profanarunt". Tamen eos quoque eadem de causa noluit perdere. Verum jam tum manum super eos tollens constituit populum aliquando dispellere, „quod jura mea non fecerunt et praecepta mea repudiaverunt et sabbata mea profanarunt. Quae res in Pentateucho quidem non narrata, septem et triginta annis a Pentateuchi scriptoribus omissis videtur facta esse. Ceterum Ezechiel illis verbis non in incerto relinquit, sicut Jeremia, quam Pentateuchi legem ad sabbata pertinentem spectet, sed certae legis verba affert, legis dico Exod. 31, 12—17 scriptam (v. infra pag. 100 sq.). Est quidem controversia, utrum Ezechiel hanc Exodi legem laudet, an Ezechielis verba in legis formam redacta post ejus aetatem in Pentateuchum inserta sint, de qua re infra breviter disputabimus. Hic satis est controversiam significasse, ne eam ignorare videamur dicentes, Ezechielem legem ipso antiquiorem laudare, quae quidem nostra est sententia.

Etiam in exsilio Israelitae oratione prophetica commonefacti sunt, ut sabbata sancte agerent, quae esset conditio salutis: Sic dicit Jehova: Servate jus et facite justitiam, nam propinquum est auxilium meum mox adventurum, et salus mea patefacienda. Felix erit homo, qui hoc fecerit, et filius Adami, qui hoc tenuerit: qui sabbatum servat, ut non profanet, et manum suam coercet, ne male faciat. Neve dicat peregrinus, qui ad Jehovam se applicavit: „Jehova me secludet a populo suo", neve dicat eunuchus: „ecce, sum arbor arida". Nam sic dicit Jehova eunuchis, qui sabbata mea servant

et eligunt, quae mihi placent, et tenent foedus meum: domi meae et in moenibus meis memoriam iis condam etc., et peregrini, qui ad Jehovam se applicaverunt, ut ei pareant et ament nomen Jehovae, ut sint servi ejus: quicunque sabbatum servat non profanans et qui tenent foedus meum: ducam eos ad montem meum sacrum et delectabo eos in aedibus meis sacris, holocausta eorum et sacrificia grata sunt in ara mea, nam domus mea vocator aedes orandi omnibus populis (Jes. 56, 1—7). Et aedificabunt tui ruinas antiquas, rudera aetatum praeteritarum excitabis et vocaberis: „expletor rimarum, restaurator limitum ferentium ad domicilium“, si retines pedem a sabbato, ne negotium tuum facias die meo sacro, et sabbatum vocas delicias, sancto Jehovae venerandum, et ita honoras, ut non cures vias tuas, non agas negotium tuum neque garrias gerras. Quo facto oblectaberis Jehova, et ingredi te sinam in montibus terrae, et perfrui te sinam hereditate Jacobi patris tui, nam os Jehovae locutum est (Jes. 58, 12—14). Et fiet: a nova luna ad novam lunam et a sabbato ad sabbatum veniet omnis caro oratum coram me, dicit Jehova (66, 23).

Ignoramus, num sabbata ab omnibus aut plurimis Israelitis in exsilio Jehovae fidelibus tam diligenter servata sint, quam propheta voluit: certum est, postea in patriam reversos admodum ea neglexisse. Quod docet Nehemia, quum capite XIII libri nomen ejus habentis narrat, se vidisse die sabbati torcularia calcantes et manipulos domum portantes asinisque imponentes et vinum, fructus, aliaque onera Hierosolyma ferentes: sciscitando comperisse, mercatores Phoenicios eas merces apportare et sabbato Judaeis vendere. Ideo se nobiles Judaeos acriter increpuisse et portas custodiendo prohibuisse, quominus amplius sabbato fierent negotia. Tyrii quidem sunt, qui sabbatis merces apportant et vendunt, sed

Israelitae non verentur emere. Neque solos peregrinos ille dicit uvas calcasse et manipulos portasse. Itaque Nehemia Israelitas magni peccati culpam in se admisisse judicat, ejusdem peccati, quod interitus regni Judaei causa fuerit.

Jam librorum propheticorum et historicorum locos ad nostram quaestionem pertinentes omnes consideravimus. Quorum nullo probatur opinio eorum, qui judicant, sabbatorum observandorum modum post exsilium diversum fuisse atque ante exsilium eumque diligentiorem atque severiorem. Contra inde ab Amosi aetate usque ad Nehemiam sabbata apparet habita esse dies, quibus nefas esset negotia agere, et Amosi aetate non neglegentius videntur sed diligentius quam Nehemiae tempore sabbata negotiorum intermissione celebrata esse. Posteriore demum tempore, quo leges Pentateuchi omnes dudum scriptas fuisse nemo negat, Judaei sabbata tam anxie agere coeperunt, quam Christi aetate egerunt et ad nostrum usque tempus agunt. Quae quum ita sint, nihil est cur putemus, post Mosen demum, non ab ipso constitutum esse sabbati agendi modum ac rationem, quae leges Pentateuchi praescribunt.

Examinemus porro has leges ipsas, ut videamus, num antiquiores eandem sabbati agendi rationem statuant, quam quae posteriore tempore scriptae esse dicuntur, an verum sit, quod dicit Wellhausen[1]: *„Beim Jehovisten und Deuteronomisten ist der Sabbath, der freilich schon Amos 8, 5 auf den Handel ausgedehnt wird, eine Einrichtung speciell für den Ackerbau . . . ., im Priestercodex dagegen . . . wird die Sabbathsruhe ganz abstract genommen, nicht als Ruhe von einem Etwas, das als ihr bestimmtes Correlat erscheint, z. B. von der Feldarbeit, sondern als Ruhe schlechthin“.*

Decalogi verbum quartum vetat, ne homo vel jumentum septimo die, sabbato Jehovae, aliquod opus (כל מלאכה) faciat, quum reliquis sex hebdomadis diebus laborandum

1) *Geschichte Israels*, I 117.

יום et esse opus מלאכה peragendum sit. Manifestum quidem est. מלאכה non esse omnem actionem. sed laborem, opus quotidiani negotii. at sine causa ad solum opus agreste refertur.

Quum „liber foederis“ exhibet de sabbato legem. haec est: Et sex diebus opus tuum facito. septimo autem die feriator. ut bos tuus quiescat et asinus tuus et recreetur filius ancillae tuae et peregrinus Ex. 23. 12. Vetatur. ne quis sabbato faciat מלאכה. h. e. מלאכת opera. quae solet facere ad victum comparandum et lucrum faciendum: מלאכה autem latissime patet complectens quaecunque ab homine fiunt. „actionem. facinus. laborem“. et „opus“ laborando confectum. Itaque. etsi neminem fugiet, etiam hanc legem laborem tantum spectare. apparet non unum tantum laboris genus sed omnia sabbato fieri vetari. quum שבת feriari. quod est die septimo agendum. contrarium putatur voci עשה מלאכה opus facere. quod reliquis sex diebus negotiosis ששת ימים 1 Sam. 20. 19 agi imperatum est.

Nihil est igitur ut statuamus. „libri foederis“ leges tantummodo opera agrestia sabbatis fieri. aut ea praecipue vetare. Praeterea si illa Wellhauseni opinio esset vera. qui posset in loco simili Exod. 34. 21 in lege foederis renovati — *Bundesurkunde* — quae perperam vocatur *Zwölftafelgesetz* paulo accommodatius *Zwölftafelgesetz* alibi „feriator sabbatis tempore arandi et tempore metendi“: nempe supervacaneum esset id notare. si agricolarum potissimum quieti sabbata dedicata fuissent[1].

Haec igitur leges docent. jam antiquissimis Hebraeorum temporibus. quorum memoriam investigare possumus. sabbatis labores omnes omnium civium Israeliticorum earumque servorum ac jumentorum intermissos aut habitos esse intermittendos. Quod quum omnino concordet cum librorum propheticorum testimoniis ante a nobis examinatis. jam pro explorato habere licet.

[1] Solo tempore arandi et metendi sabbata alia distinguenda esse, illa verba vix aliquam significare videbuntur.

J. Wellhausen statuit: „*Im höchsten Grade ausgebildet, bis zur Veränderung der Qualität, erscheint die Sabbathsruhe im Priestercodex . . . . . Sie wird hier ganz abstract genommen, nicht als Ruhe von einem Etwas, das als ihr bestimmtes Correlat erscheint, z. B. von der Feldarbeit, sondern als Ruhe schlechthin. Man darf am heiligen Tage nicht aus dem Lager gehn um Manna oder Holz zu sammeln Ex. 16. Num. 15, nicht einmal Feuer anzünden und kochen Ex. 35, 3*“. Sententia est, ceteras leges sabbaticas vetare labores, quorum sabbatis intermittendorum consuetudo parta sit naturalibus quibusdam Israelitarum vitae rationibus, ita ut repetant tantum, quod laboris quibusdam generibus quasi insita lex dudum jusserit, quum libri PC leges opera nulla, ne ea quidem, quae omittere naturae parum conveniat, sabbatis fieri permittant, tamquam lex physica res humanas nulla ratione vi importuna coërcens (Wellhausen: „. . . *mit der Starrheit eines Naturgesetzes auftretendes Statut*“.). Referimus haec. Omnes leges sabbaticae[1] quodvis opus sabbato fieri vetant. Praeceptum illud Ex. 35, 3: Nolite ignem incendere in omnibus domiciliis vestris die sabbati, ita singulare est, ut non valeat ea, quae Wellhauseno placet, conclusio, praesertim quum nesciatur, nonne ex causa peculiari ignem sabbatis incendere ab antiquissimis temporibus nefas habitum sit. Animadvertendum est, assyrios quoque fastos vetare, ne rex carnem super ignem assatam sabbato edat[2]. Mannam autem colligere par est frumenta metendo, quare id sabbato interdici non mirum, et lignari profecto labor est a diei quiescendi natura admodum abhorrens. Quibus expositis falli videtur, qui contendit, legem sabbatis otiari jubentem auctam paulatim atque intensam esse levia primo, mox leviora, postremo etiam levissima vitae domesticae negotia ne sabbatis

1) Praeter eas, quas tractavimus, sunt Ex. 31, 13—17. 35, 2. Lev. 19, 2—3. 30. 23, 3. 26, 2.

2) Vide pag. 56. Israelitas exsules a Babyloniis victoribus hunc morem accepisse, nemo crediderit.

fierent interdicendo[1]. Hoc scilicet non possumus probare, Israelitas veteres sabbati violationem crimen capitale existimasse et morte multasse, quamquam redargui certis argumentis non potest. Atque ut quisque aliis de causis de veterum Israelitarum rebus universis judicabit, ita de hac re alii aliter sentire liberum erit.

Utcunque vero hoc se habere cuipiam videbitur et licet credat, ignem sabbato incendere posteriore demum tempore vetitum esse, quo liber PC scriptus sit, tamen non opus est statuere, in hoc libro otii sabbatici rationem penitus mutatam inveniri, nisi forte quod paulo acrius in eo postulatur, ut otium cum perfecta diligentia agatur. Quae sententia plana ac recta subsit verbis „. . . *die Sabbathsruhe . . . wird hier*“ *im PC „ganz abstract genommen, nicht als Ruhe von einem Etwas, . . . sondern als Ruhe schlechthin*“, non video. Otium semper oppositum est labori, etiam id, quod PC imperat. Quare vero, quum otio se dare quis jubetur, oporteat dici, quo labore intermittendo otium agi debeat, quis potest intelligere? Praeterea ipsae ceterorum Pentateuchi fontium leges sabbaticae minime certos labores vetant, sed universe dicunt, sabbato negotia agere non fas esse, et contra solus PC duo certa negotia memorat, quibus sabbati sanctitas violetur — num hoc est magis indefinitum („*abstract*“)?

Sed haec hactenus. Satis mihi probatum esse videtur, sabbata, quantum scire possumus, jam antiquissimis temporibus ab Israelitis existimata esse laboribus (gravioribus) omnibus intermittendis celebranda, nec posse firmis argumentis effici, quiescendi modum aliquanto immutatum esse in iis temporibus, quibus Vet. Testamenti libri scripti sunt.

1) Agitur hoc loco de iis temporibus, quorum memoriam literae sacrae Vet. Testamenti complectuntur. Posteriore tempore illud vere factum esse constat.

Caput III.

Restat, ut investigemus, quam causam esse otiandi sabbatis aut semper aut certis temporibus Israelitae existimaverint.

Ac primum facile cognoscimus, otium sabbaticum non alia sacra sabbato facienda sequi, sed caput esse habitum sabbati celebrandi. Cui rei fidem facit ipsum nomen שַׁבָּת et sabbati babylonici collatio: probatur eo, quod non modo legibus et prophetarum orationibus sabbato otiari crebro imperatur, quum de sacrificiis sabbato offerendis ipse PC semel tantum mentionem faciat, sed ceteris sacris universis otium sabbaticum anteponitur. Hoc ex ea re sola satis cognoscitur, quod decalogus nihil aliud, quod ad sacra pertineat, nisi otium sabbaticum praescribit. Probatur vero etiam his rebus. Nunquam propheta dicit, Deo displicere, quod sabbato otientur, quum sacrificiorum a populo improbo oblatorum Jehovam pigere saepius audiamus. Cujus rei certe non ea est causa, quod improbi otium sabbaticum semper contempserint, nam Amosi illud docet, ipsius aetate impios quoque sabbatis feriatos esse. Concedamus, posse fortuito factum esse, ut prophetae priores otium sabbaticum rarius ab ipsis memoratum nunquam dicant Deo non placere: sed Jeremia et Ezechiel id non modo non vituperant, sed postulant contendentes, jam patribus Jehovam, ut sabbatis quiescerent, imperasse. Sabbata laborum intermissione celebrari Jeremia jubet, si laborando violentur, Deum ad iram exarsurum esse nuntiat. Contra sacrificare, suffire, jejunare minimi facit (6, 20. 14, 12). Itaque non licet sumere, ut diligentior tum in sabbatis agendis observatio postularetur, eam fuisse causam,

quod homines pii magis magisque sibi persuaserint, religionis caput esse omnia sacra rite perpetrare. Enimvero Jeremia non minus graviter ac severe quam prophetae priores monet, ut probitate et pietate Deus colatur, quae sit vera religio et melior quam immolando et jejunando Deum specie potius quam corde venerari (4, 1—4. 7, 20—23. 9, 23. 22, 3—4). Sequitur, sabbati quietem et aliam et multo meliorem rem habitam esse quam sacrificia. Atque quum ceteri quoque prophetae, quantumvis cetera sacra despicere videantur, sabbati otium nusquam vituperent aut contemnant[1], verisimile mihi videtur, et ipsos multo pluris fecisse.

Ezechiel certe cum Jeremia consentit in aestimando sabbati otio. Quamquam sacrificia majore in pretio habet quam priores prophetae, tamen eo, quod sabbata (labore) profanata non semel tantum causam ponit irae Dei, regnum Judaeorum deleturi, significat, nullam aliam religionem dignitate sabbati otium aequare.

Etiam in capitibus XL—LXVI libri Jesajae sabbati otium magnopere commendatur (v. locos supra pag. 79 sq. allatos).

Quam Israelitae causam ac rationem otii sabbatici posuerint, priorum prophetarum libri non docent. Jeremia autem quum laboris intermissionem verbis „sabbatum sancte agere“ significat et Ezechiel sabbatum (labore) profanari[2] querens ostendunt, sabbata dies Jehovae esse habita, quorum sanctitas laboribus vitae quotidianae violaretur. Sabbatum sancte agendum est non faciendo aliquid, sed non agendo, intermittendo laborem quotidianum die Jehovae, quo homo non debet uti ad sua negotia agenda. Bene autem facit, qui sabbatum ab operibus abstinendo sancte agit, non quod aliquid bonum otiando fiat, sed quod Jehovae ille paret et ejus

---

1) Jesaja l. l. celebrationem sabbatorum, quae sacrificiis etc. fiat, vituperat, non otium.

2) קדש את השבת legitur Jer. 17, 22. 24. 27. Ezech. 20, 20. 44, 24. Neh. 13, 22. Decal.; חלל את השבת Ezech. 20, 13. 16. 21. 24. 22, 8. 23, 38. Neh. 13, 17. 18. Jesaj. 56, 2. Exod. 31, 14; שמר את השבת Jesaj. 56, 2. 4. Exod. 31, 13. 14. 16. Lev. 19, 3. 30. 26, 2. Decal.

sacrum veretur. Haec est auctoritas principalis otii sabbatici vocibus קדש et חלל notata. Non posteriore demum tempore eam esse otio sabbatico tributam apparet, quum decalogi lex sabbatica incipiat verbis „Memento diei sabbati, ut eum sancte agas“. Atque recte a nobis explicatum esse sensum „sancte agendi“ probat decalogus sic pergens: sex diebus laborato et omnia negotia tua agitato: septimo autem die sabbatum Jehovae, domini tui, est, nullum opus facito, tu et filius tuus etc. Vides sabbatum sancte agere Israelitas juberi labores intermittendo, quod dies sit Jehovae, qui senos dies hominum negotiis destinarit, septimum quemque sibi ipsi exceperit, quam ob rem eo homines ad negotia sua uti nefas sit: sabbatum sancte agere debere Jehovae sanctitatem verecundia venerantes.

Magnum hoc est discrimen inter Babyloniorum et Israelitarum sabbata. Illi quoque sabbata certe habuerunt dies sacros, quum autem deum supremum non nossent, sabbata egerunt non deum veneraturi, sed ob sanctitatem[1] diebus ipsis inhaerentem. Perinde ac ceteros dies omnes videmus sabbata Babyloniorum alia aliis diis iisque non majoribus attributa, ex quo apparet, neque sabbatum fuisse diem, quod dei cujusdam sit, neque illi deo attributum esse, quod sabbatum fuerit.

Israelitae certe jam Mosis aetate sabbata Jehovae dies sacros habuerunt, hoc tantum dubium est, num ex quo Moses cultum Jehovae auxit ac correxit, an ante eum a patribus Israelitarum sabbata Dei ipsorum unius dies habita sint,

---

1) Sanctum est quod labis expers res quotidianas, maxime in usu hominum versantes et eo pollutas, turbatas, imminutas superat puritate, dignitate, virtutibus divinis ac viribus (cf. imprimis commentationem Francisci Delitzschii in Herzog *Real-Enc.*$_2$ V 714 sqq.). Israelitae Deum et res ad eum ejusque cultum pertinentes vocabulis sanctitatem significantibus ornant, Jehova iis caput et fons est sanctitatis. Babylonii (et ceteri gentiles) deos existimant participes et tutores sanctitatis, quae quasi ante numina fuerit et res sit ex se ipsa apta. Est vero sanctitas res, cujus notio multis modis potest variari; qualem esse Babylonii senserint, hic inquirere longum est.

quod credere malim. Historiae memoria documenta ad hanc rem pertinentia non tradidit.

Pro certo, ut vidimus, habendum est, inde a Mosis tempore semper idcirco Israelitas sabbato feriatos esse, ne dies Jehovae sacer labore hominum profanaretur. Sed ea re cognita soluta non est quaestio, quam tractamus. Nam reliquum est, ut videamus, quam ob rem septimum quemque diem Jehova sibi sacrum esse velit. Praeterea facile cognoscimus, Israelitas non sensisse, a Deo diem primo factum esse sacrum, deinde eundem declaratum esse sabbatum, sed sacrum factum esse, ut esset dies otii. Otium praescriptum non sequitur sanctitatem sabbati similiter atque cujuslibet diei festi sanctitatem sequeretur, sed sabbati sanctitas in eo consistit, quod otii religione postulati dies est, ut non modo labore minuatur, sed nulla esset, nisi otium hominibus a Deo imperatum esset. Hoc ex eo cognoscimus, quod nusquam legitur: dies septimus est dies Jehovae, vel dies Jehovae sacer seu festus, idcirco eo die labor intermittendus est, sed sic legitur: „die septimo nolito laborare, die septimo sabbatum (h. e. „quies") Jehovae est, diem sabbati (diem quietis) sancte agas" etc. Itaque, nisi otium sabbaticum esset, sabbatum non esset, dies septimus non esset festus.

Jam tentemus investigare, quam ob rem — Israelitarum sententia — Deus septimum quemque diem ad otium destinans sacrum fecerit. Atque quum prophetarum libri ea de re nihil doceant, quid leges sabbaticae ad quaestionem nostram solvendam faciant, videndum.

Wellhausen pag. 117 libri commemorati dicit: „*Beim Jehovisten und Deuteronomisten ist der Sabbath . . . der Erholungstag für die Leute und das Vieh . . . . Die Herren haben immer Feiertag, am siebten Tage sollen sie aber auch das Gesinde und die Arbeitstiere ruhen lassen Exod. 20, 10. 23, 12. 34, 21. Deut. 5, 13. 14 . . . . . was zur Pflicht gemacht wird — den israelitischen Herren nemlich, an welche die Gesetzgebung sich richtet — ist nicht, dass sie ruhen, sondern dass sie ruhen lassen*". Ut cognoscatur, num haec

sententia ceteris legibus sabbaticis jehovisticis et altera parte legis sabbaticae deuteronomicae probetur, latiore disputatione mox instituenda opus est, legis autem sabbaticae decalogi priorem partem, quae Exodi et Deuteronomii communis est, aliam significare otii sabbatici rationem, facile est intellectu. Nam si sabbatum esset ob eam rem solam constitutum, ut servis et jumentis requiescendi facultas daretur, non esset causa, cur dies Jehovae sacer haberetur et putaretur profanari labore eorum, qui unoquoque die quietem necessariam capiendi potestatem haberent: decalogus vero jubet sabbatum sancte agi et non servos et jumenta solum, sed etiam dominum liberosque ejus otiari. Illi opinioni etiam hoc adversatur, quod lex sabbatica inter eas collocata est, quae spectant ad officia erga Deum. Nam si sabbatum praecipue operariorum et jumentorum utilitati destinatum esset, lex sabbatica sinere quiescere potius quam otiari imperans nullo pacto legem pietatem erga parentes jubentem posset antecedere. Haec prior legis pars, cujus verba prima זכור (שמור) את יום השבת לקדשו sunt legis caput, docet sabbatum esse diem sacrum propter pietatem Deo debitam otio celebrandum, quod „sabbatum Jehovae“ sit.

Huic parti legis scriptor Deuteronomii adjecit verba: ut requiescat servus tuus et ancilla tua sicut tu. Et sunt, qui ex iis (et ex lege sabbatica libri foederis, Exod. 23, 12) concludant, creditum esse Deum sabbata instituisse, ut servi et jumenta haberent requietis facultatem. At satis evidens esse existimo, sententiam verborum illorum non esse: otium sabbaticum praescribo, ut servi tui sabbato quiescere possint, sicut tu, domine, diebus omnibus quiescis. Etenim quum modo domini jussi sint senis diebus laborare et deinceps septimo otiari, verba (requiescat) „sicut tu“ non possunt nisi ad sabbaticum dominorum otium spectare. Imperatur igitur, ut dominus, sicut ipse sabbato quiescit, servos quoque sinat quiescere, et verba, de quibus quaeritur, ad illud tantum pertinent: „et servus tuus et ancilla tua et bos tuus“ etc. Etiam legem sabbaticam libri foederis perperam

interpretaris, si putas, eam docere praecipue servorum et jumentorum gratia otium sabbaticum praescriptum et dominos, ne servos laborare cogant, quiescere juberi. Verba ejus sunt haec: Et sex diebus facito opus tuum, septimo autem die feriator, ut bos tuus quiescat et asinus tuus, et recreetur filius ancillae tuae et peregrinus (Exod. 23, 12). Omnibus haec lex datur, cuncti Israelitae senos tantum dies laborare debent, septimo deinceps quiescere. Nec hoc potest modo eo consilio imperatum esse, ut servis, peregrinis, jumentis requiescendi facultas fieret, quum ad eam rem satis fuisset locupletibus et divitibus praecipere, ut sinerent septimo quoque die operarios quiescere. Ac profecto non ita multi fuerunt domini, qui semper tamquam diem festum agentes otiari possent („*Feiertag hatten*"). Etiam locupletes certe plerumque laborabant cum familia sua et cum ea sabbato delectabantur. Et multi sine dubio fuerunt Israelitae liberi, qui omnino aut maxima ex parte suarum manuum labore victum quaererent. Habuerint omnes agricolae jugum boum vel asinos: num sabbato labores ipsi intermiserunt jumentorum causa vel, qui paulo meliore conditione utebantur, servorum? Ei autem, qui nec servos nec jumenta possidebat, num sabbatis laborare licuit? Itaque quum legislator illam legis rationem proponat, in qua universa otii sabbatici causa non inest, apparet eum loco, de quo agimus, legem sabbaticam non voluisse condere, sed singulari consilio repetere. Quod consilium significatur ipsa ratione addita: iis lex commendatur, quibus potestas est requietem sabbaticam aliis recusandi. Ille locus non omnibus est, sed divitibus servos et jumenta possidentibus scriptus. Plane vero significat, esse legem universalem, immo ea in ipso inest, quum verba „die septimo feriator" hic dominis tantum dici sola rationis expositione significetur.

Scriptorem non universam rationem otii sabbatici significare, etiam ex lege ab eodem tradita de anno sabbatico plane cognoscitur. Quam ante legem de sabbato posuit et ita descripsit, quasi eam unam ob rem daretur, ut quae

septimo quoque anno agri et arbores gignerent, pauperibus et bestiis fructui essent. Eam vero ejus sententiam reapse fuisse credi non potest. Neque enim dubium est, quin annus sabbaticus, qualis in Exodo et Levitico descriptus est, institutus sit, ut agricultura annua sexies repetita septimo anno intermitteretur, sicut septimo die quotidianus labor. Quod anno sabbatico fructus a terra ultro procreatos colligi vetatur, instituti sententiae consentaneum est, sed non eam ob rem lex est data[1]. Atque id vetitum esse, idcirco illo, quem significavimus, loco commemoratum est, quia antecedunt complures leges miserorum et oppressorum commodo prospicientes. Quod his annus sabbaticus maxime prodest, illo ipso loco lex de eo statuens posita est et addita lex sabbatica, quia etiam dies sabbati praecipue pauperibus utilis est: atque haec sola est causa cur ea lex hic memoretur. Si scriptoris consilium fuisset, rem nova lege ordinare et ejus rationem principalem exponere, lex sabbatica legi de anno sabbatico statuenti fuisset praeponenda. Quibus de causis negandum est, illam otii sabbatici rationem in libro foederis expositam — quam Noeldeke[2] vocat *„die einfachste und beste Motivierung“* — esse principalem vel universam.

Quum autem ea libri foederis lex monet, ne servis Israelitae fructum otii sabbatici recusent, significatur, otium non officium solum esse, quod impleant, sed etiam bonum, quo fruantur. Ac nimirum credo equidem, praeter illam sententiam communem, quum otium sabbaticum propter diei sanctitatem servandum existimarent, a mentibus Israelitarum nulla aetate alienam fuisse opinionem, requietis causa Jehovam benignitate commotum populo suo laboribus quotidianis multis et molestis exercito sabbata donasse[3]. Fructus autem quietis sabbaticae homini eo dulcior, quo magis labore premitur, quare operariis pauperibus magis quam divitibus, maxime vero servis voluntate dominorum vires perpetuo intendere

1) Cf. Dillmann, *die Bücher Exodus u. Leviticus*, pag. 604.
2) *Untersuchungen zur Kritik des Alten Testaments*, pag. 51.
3) Cf. Jesaj. 58, 13: „et sabbatum vocas delicias (עֹנֶג)“.

coactis diem quietis a Deo institutum usui esse necesse fuit. Institutum tale, quale sabbata sunt, non potest non multis modis ad vitae publicae et privatae consuetudines et conditiones pertinere, et quidquid salutare eo efficitur, consilio auctoris effici videtur ei, qui a Deo credit rem institutam esse[1]. Sic fit, ut in legibus sabbaticis aliis alius utilitatis causa sabbatum institutum esse dicatur, neque incredibile est, eundem legislatorem diversis locis diversas otii sabbatici causas proponere.

Existimamus igitur antiquitus ortam esse sententiam, otium sabbaticum ut beneficium a Deo datum esse hominibus, maxime servis gravibus laboribus pressis, et jumentis, neque postea eam ex animis effluxisse: non credimus potuisse fieri, ut Israelitis ea sabbatorum naturam ac rationem omnem exprimi videretur, quoniam sabbatum diem Jehovae sacrum ab hominibus sancte agendum existimabant.

In altera parte legis sabbaticae decalogi Exodi (20, 11) septimus quisque dies ea de causa otio destinatus esse dicitur, quod Deus mundo sex diebus creato septimo quieverit eumque diem sacrum faustumque fecerit. Sicut opus divinum

---

1) Credibile est fuisse Israelitas, qui otium sabbaticum a Deo praescriptum putarint, ne sabbatis labor Israelitas avocaret ab adorando Deum et praedicando, res ab eo gestas contemplando, prophetas voluntatis ejus interpretes audiendo. Hoc saltem certum est, fuisse, qui otio sabbatico non melius uti posse sibi viderentur. Quod haecce docet libri regum (II 4, 18 sqq.) narratio:

Quum Elisae prophetae amica illa Sunamita, filio, quem Elisa promiserat, mortuo, a marito servum et asinum petiisset, ut ad prophetam proficisceretur, is miratus interrogavit: „Cur vis ad eum ire, quum nec novae lunae dies sit nec sabbatum?“ Haec narratio etiamsi non sit ex veterrimis de Elisa scriptis, profecto satis vetusta est, ut veram possit temporis illius imaginem exhibere. Licet igitur arbitrari, illa aetate Israelitas religiosos sabbatis et diebus novae lunae apud prophetas convenisse, qui verba Dei sibi praedicarent. Nam simplex et sincera verborum interpretatio ostendit, maritum mulieris illius miratum esse, quod vellet adire prophetam, quem diebus novae lunae et sabbatis tantum visere soleret, non vero (Wellhausen, *Gesch. Isr.*, I 117), quod servum et asinum posceret, qui non essent nisi festis illis diebus vacui.

mundi creandi hebdomade continetur sex dierum creandi et unius quiescendi, ita Israelitarum vita in hebdomades distribuenda est, quarum unaquaeque effigies sit illius divinae hebdomadis. Facile intelligimus, hanc rationem duabus illis opinionibus maxime consentaneam esse, quarum altera sabbata dies sacros ponit, quibus Jehovae sacrum labore hominum violetur, altera statuit, sabbata a Deo populo suo data, ut requietis tempus praebeatur omnibus labore exercitis, maxime servis et pauperibus. Nam quum septimo die Deus ipse quiescens eum otii diem suo exemplo instituerit, homo, qui mallet laborare, Jehovam contemneret ejusque majestatem laederet. Et non ut ludum inanem sive ex mera libidine Deum sabbata imperasse melius vix possit probari. Nam otium sabbaticum bonum ac salutare esse, qui possit planius demonstrari quam narrando, Deum ipsum post sex dies, quibus mundum perfecit, septimo quievisse? Itaque Deum imitanti septimo quoque die feriari officium simul erit et voluptas.

In decalogo Deuteronomii alteram partem legis sabbaticae invenimus plane diversam et diversam otii sabbatici rationem. Deuteronomii scriptor compluribus praeceptis servorum miserorumque commodo prospiciens adscribere solet, ut Israelitae memores sint servitutis et miseriae, quas ipsi sint in Aegypto perpessi, quarum recordatione ad misericordiam erga illos moveantur (cf. e. c. Deut. 15, 15). Sic in decalogo quoque post verba: ut quiescat servus tuus et ancilla tua sicut tu, pergit: Et memento servum te fuisse in terra Aegypto et Jehovam te inde eduxisse manu valida et brachio porrecto. Quum autem addit: ea de causa Jehova, Deus tuus, te jussit sabbatum agere, significat, non solum, ut animos ad misericordiam incitet, se dixisse „memento servum te fuisse“ etc., sed, quod Dei potentia Israelitae servitute liberati sint, causam esse, cur Jehova sabbata agere jusserit. Si aliter sensisset, dicendum ei fuisset: „ea de causa Jehova te jussit sabbato servos sinere quiescere (sicut tu eo die quiescis)“. Credidit igitur, sabbatum a Deo institutum esse ob memoriam Israelitarum

servitute Aegyptiaca liberatorum[1]. Operis quotidiani intermissio sabbatica monumentum est salutis, quam Jehova populo suo operis servilibus oppresso paraverat. Quietem autem sabbaticam servis impertiri jubentur Israelitae memores, ipsis a Deo requiem majoris pretii comparatam esse.

Rationes Exodi et Deuteronomii apte sic conjunges: Jehova Israelitis ex Aegypto eductis sabbata dedit, ut memoriam liberationis servarent: septimum autem quemque diem sabbatum esse voluit, quod is propter quietem a Deo creatore captam jam faustus sacerque factus esset. Utraque tamen per se satis plana est: altera in Exodo exposita complementi plane non eget, altera incertum quidem relinquit, cur septimus quisque dies sabbatum factum sit, sed ejus rei declarationem homines, qui sabbata a majoribus ut rem pridem statam acceperant, requisivisse non videntur; sicut jam Mosis tempore, quum septimus quisque dies etiam antea certe insignis habitus esset, ejus rei rationem non esse desideratam probabile est[2]. Itaque utraque ratio principio in decalogo posita fuisse potest, altera (Exod. 20, 11) perfectior, altera (Deut. 5, 15) minus quidem absoluta, verum satisfaciens usui hominum tunc viventium.

Jam quaeritur, utra reapse in decalogo a principio fuerit aut priore tempore in eum inserta sit.

Facillime in animum incidit haec opinio. Decalogum, qui est in Deuteronomio, scriptor aperte dicit esse repetitum priorem, quem esse eundem, qui in Exodo scriptus est, collatione locorum omnino probatur. Decalogo autem Deuteronomii invenimus compluria verba inserta, quae in Exodo non

---

1) Cf. Dillmann, *Exod. u. Lev.*, p. 216; Keil, *Genes. u. Exod.*, p. 515. Aliter Delitzsch in *Zeitschr. für kirchl. Wissensch. u. kirchl. Leben* 1882 p. 292.

2) Licet etiam credere, aliam rem, de qua libri Vet. Testamenti nihil produnt, fortasse numeri septenarii sanctitatem, Israelitis sabbatorum rationem reputantibus visam esse causam, cur septimus quisque dies sabbatum esset.

leguntur, Deuteronomii proprietatem redolentia[1]. Ergo etiam legis sabbaticae partes Deuteronomii propriae ab ejus scriptore adscriptae sunt existimandae. Contra dicitur, non modo addita esse, sed etiam desiderari in lege sabbatica Deuteronomii verba, eaque gravissima, quae in Exodo legantur, quum scriptor Deuteronomii verba omittere et alia pro iis substituere alias non sit ausus. Quod quidem concedimus, at certum argumentum esse negamus, quum hoc uno loco scriptor perspicuam causam habuerit verba antiqua mutandi. Hoc certe constat, rationem otii sabbatici in Deuteronomio expositam, ab ipso ejus scriptore in decalogum insertam esse. Nam propterea tantum, quod ea expositio incipit verbo וזכרת, in Deuteronomio pro זכור „memento“, quo sine dubio principio legis initium factum est, substitutum est שמור „serva“, atque Deuteronomii propria est crebra recordatio servitutis Aegyptiacae. Porro versus Deut. 5, 15 in decalogum inseri non potuit, priusquam verba „ut requiescat servus tuus et ancilla tua sicut tu“ in eo fuerunt, haec autem a scriptore Deuteronomii adjecta esse manifestum est, nam consentanea sunt ipsi, cui miserorum et servorum conditio maximae curae est, atque quae possit inveniri causa, cur sint ex altero decalogo ejecta? Denique haec ratio, in extremo legis multis verbis expositae paucis adscripta, ne vocabulo כי „nam“ quidem usurpato, quo in ceteris decalogi legibus rationis expositio incipit, minus pactis ac compositis verbis expressa est, quam ut prioris formae decalogi fuisse possit.

Itaque hoc quaeritur: utrum scriptor Deuteronomii verba, quae Exod. 20, 11 legimus, omisit, ut suae rationis otii sabbatici exponendae locum haberet, an ea non novit, quod posteriore demum tempore in decalogum inserta sunt?

In dubium vocare non licet, decalogum, qualis scriptori Deuteronomii notus erat, continuisse ea verba, quibus legi secundae, tertiae, quintae, decimae rationes et explicationes

1) Haec res non mutatur eo, quod Deuteronomium nonnullas lectiones fortasse meliores habet.

adjiciuntur. Quod maxime manifestum est in lege quinta, cujus verba, quae legimus in libro Exodi, legem servantibus praemia promittentia in Deuteronomio aucta sint[1]. Atque mihi quidem verisimile videtur, etiam quartae legi jam antiquitus rationis declarationem adjectam fuisse, quippe cui plus quam ceteris necessaria fuerit[2].

Dixerit quispiam, verba „septimo autem die sabbatum Jehovae est“ rationem significare praecepti „memento diei sabbati, ut sancte eum agas“. Nonne vero ejus ipsius rei, quod „sabbatum Jehovae est“, ratio desideratur? Eam jam antiquitus in decalogo positam fuisse credo, vocabulo כי „nam“ inductam[3]. Atque quum in lege Deuteronomii non modo hoc vocabulum non inveniatur, sed verba, quae ibi rationem legis declarant, omnia a scriptore Deuteronomii profecta sint, verba Exod. 20, 11 antiquae vetustatis et Deuteronomio vetustiora esse arbitror, quamquam scio, hanc argumentationem non esse omnis dubitationis expertem.

Quisquis Deuteronomii scriptor fuit, sive Moses sive alius cujuscunque temporis, fuit certe vir, cui constabat de suimet ipsius potestate leges antea datas nomine Jehovae vel Mosis immutandi, vel novas pro iis substituendi. Quod decalogum immutavit, mirandum sane est, sed fecit, nec licet contendere, eum non potuisse in animum inducere, ut legis sabbaticae verba ita ut fecit mutaret. Ratio etiam sabbatici ab eo in decalogum inserta non modo ipsius menti maxime consentanea est, sed ejusmodi, ut Israelitis non minus gravis videri potuerit, quam ratio in Exodo posita, neque is, qui pro hac illam substituit, debuerit gravioris cum levioris mutatione sibi videri. Illa Deuteronomii verba non solum sunt „eine an das Wohlwollen des Subjects appellirende Motivirung der Sabbatruhe der Sklaven“[4], sed rationem etiam sabbatici omnium

---

1 [illegible]

2 [illegible]

3 [illegible]

4 [illegible]

ponunt. Ac minime putandum est, scriptorem Deuteronomii hanc dixisse rationem, quia alteram non noverit: sed quod, quum misericordia commotus verba „ut requiescat servus tuus et ancilla tua sicut tu“, scripsisset, ut alibi ita hoc loco adjecit cohortationem, ut servitutis Aegyptiacae memores essent, unde ratio illa otii sabbatici, ut monumentum esset liberationis, consequebatur[1]. Nobis sane altera ratio multo gravior videtur, quia ad omnes homines spectat, ea vero, quam Deuteronomium habet, ad Israelitas tantum pertinet. Sed apud eos illam plus auctoritatis habuisse non verisimile est, quibus res omnium gravissima erat, Jehovam ipsorum esse deum, ideoque liberationis populi servitute Aegyptiaca oppressi memoria majoris momenti videbatur, quam mundi creati, et qui ne post Christum quidem statuerunt, sabbata omnibus populis observanda esse[2]. Israelitas, qui septimi cujusque diei sanctitatem quiete Dei post mundum sex diebus creatum effectam esse credebant, simul credidisse, sabbati observationem Dei decreto post ipsos ex Aegypto egressos institutam esse, profecto non minus probabile est, quam quod simul Jehovam coeli et terrae effectorem credebant et deos aliarum nationum vere deos esse existimabant, quam multorum opinionem fuisse ex pluribus Vet. Testamenti locis cognoscimus.

Enuntiationem Exod. 20, 11 sero in decalogum receptam esse, etiam eo probari ajunt viri docti, quod ante exsilium Babylonicum Israelitae Deum sex diebus fecisse mundum non crediderint. Id qui ponunt, librum elohisticum (A sive Q) post exsilium aut in exsilio scriptum esse contendunt. Quam quidem rem hoc loco examinare longum est: sed ut ita sit quemadmodum illi dicunt, tamen non cogimur credere, res capite I Geneseos narratas Israelitis antea ignotas fuisse, nec prohibemur quominus arbitremur, legem sabbaticam, qualis in libro Exodi legitur, perantiquam esse. Non neglegendum est, plures in ea res aliis vocabulis significatas

1) Cf. etiam Marti in *Jahrbb. f. protest. Theol.* VI pag. 329 sq.

2) Selden, de jure natur. et gentium juxta disc. Ebr., p. 333 sq.

esse quam in Genesi: עשׂה dicitur pro ברא, וכל אשׁר בם pro וכל צבאם, וינח pro וישׁבת, et mihi quidem Exod. 20, 11 antiquioris aetatis speciem habere videtur quam Genes. 2, 1—4[1]. Verum etiam narrationem mundi creati Gen. 1 antiquam existimo, si non verba at saltem res. Quid est cur Israelitae *κοσμογονίαν* non habuerint? Sin habuerunt, eadem fere fuit, quam exhibet Genes. c. I res similiter narrantem, atque a Babyloniis proxima cognatione cum Israelitis conjunctis traditae erant, ac simul ad religionem Jehovae maxime accommodatam. Quod autem septem diebus mundi creandi opus factum esse dicitur, nemo debet mirari, hanc opinionem apud eum populum inveniri, apud quem hebdomas plurimum valere coepit ejusque institutio quasi absoluta consummataque est. Utique possit quis arbitrari, si narrationem, quam in Genes. I legimus, Israelitae in exsilio a Babyloniis acceperint, ipsos eam ita descripsisse, ut ex antiqua Hebraeorum opinione septem dierum spatio res gestae continerentur. Hoc enim magnum est inter Babyloniorum et Israelitarum narrationes discrimen, quod in babylonica nullum ejus rei vestigium invenitur[2].

---

1) Cf. Delitzsch in *Zeitschr. f. kirchl. Wissensch. u. k. L.* 1882 p. 292 sq.

2) Narrationes creationis mundi babylonica et hebraica, adeo similes, ut nemo possit negare, arto eas propinquitatis vinculo contineri, tamen tantopere, ut mihi videtur, inter se discrepant, ut altera ex altera facta esse nequeat. Incredibile est, scriptorem libri pentateuchici A (Q) narrationem babylonicam ita perfecte rescripsisse et correxisse. Equidem non possum mihi persuadere, Geneseos caput I non esse nisi excerptum ex narratione babylonica ad monotheismi naturam accommodatum. Utraque narratio ponit actibus divinis mundum, principio rudem indigestamque molem, per aliquot gradus, quorum supremo homines creati sint, formatum perfectumque esse: utraque simili modo videtur disposita esse, denique in nonnullis rebus singularibus magna similitudo cernitur: Chaos in utraque similiter describitur (*tiʾâmtu* = תְּהוֹם); ubi stellarum creatio exponitur, in utraque narratione de temporum descriptione, ad quam illae sint destinatae, verba fiunt; enumerationi hebraicae: בהמה ורמשׂ וחית הארץ respondet babylonica: *bûl ṣêri umâm ṣêri u nammâšê ṣêri* „pecus campi, ferae campi, reptilia campi“: bis invenitur in fragmentis narrationis babylonicae verbum *ubaššim(ú)* „bene fecit (fecerunt)“, quod simile est hebraici „et Deus vidit bonum esse“. Perperam, ut mihi

His, quae exposui, satis demonstratum esse existimo, non temere eam legis sabbaticae formam, quam decalogus in

videtur, G. Smith illud vocabulum assyrium sic interpretatur, quasi significet ad opus antecedens spectans: „bene fecera(n)t". Nam quum quinta tabularum, quibus narratio mundi creati continetur, stellarum originem describere incipit verbis *ubaššim manza[zi šam]i il ilâni rabûti kakkabâni ..... ušziz* „bene fecit firmamentum (?) coeli deus deorum magnorum (h. e. Anu), stellas .... posuit", certe haec non ad opus antecedens respiciunt, quoniam de „firmamento coeli" creato hac ipsa tabula quinta agitur (cf. lin. 6. 8). Itaque similitudo narrationum hebraicae et babylonicae in hac re minor est, quam saepe dicitur. Omnino hae similitudines non eae sunt, ut cogamur judicare, narrationem israeliticam conscriptam esse ab homine, qui babylonicam imitatus sit. Narrationis israeliticae propria sunt imprimis haec: spiritum Dei volitasse supra aquarum superficiem, opera creationis facta esse jussu verbi divini (quam rem etiam Babylonios tradidisse equidem ex fragmento S. 747 cognoscere non possum), septem diebus mundi creandi opus contentum esse, Deum diei, nocti, coelo etc. nomina imposuisse, Deum ipsum opera facta bona declarasse. — Juvat pauca adscribere de narratione babylonica diluvii. Haec aliquanto similior est israeliticae, quam narratio mundi creati. Verum quominus hanc narrationem babylonicam fontem israeliticae putemus jam eo prohibemur, quod ad illius similitudinem proxime accedunt narrationis hebraicae partes jehovisticae, quas difficile est arbitrari scriptas aetate posteriore, quam qua universus liber jehovisticus scriptus est: is autem quin multo ante exsilium Babylonicum scriptus fuerit, non est dubium. De reliquo in hac quoque narratione magna inter babylonicam formam et hebraicam discrimina inveniuntur: nomen Noae (נֹחַ), quod neque in narratione babylonica legitur, neque nomen babylonicum in linguam hebraicam versum aut a Judaeis exsulibus fictum esse potest: „arca" pro „navi" Babyloniorum, quae res hoc certe docet, Hebraeorum peculiares fuisse opiniones de antiquissimis temporibus: aves partim diversae a Noa ex arca atque a Chasisadra e navi emissae. Priora Geneseos capita post exsilium Babylonicum aut in exsilio scripta esse, praeterea non ex eo conjicere licet, quod res illic narratae in literis hebraicis ante conscriptis nusquam aperte commemorantur. Nam quum Noa ab Ezechiele ut homo probus tum temporis notissimus memoretur, res gestas ejus exsules demum comperisse incredibile est (unde actutum exstitisset nomen נֹחַ?). Etiam Jes. 54, 9 diluvii ita fit mentio, ut non possimus non credere, ante exsilium Israelitas de eo optime scivisse. Ceterum narrationes illae etiam in omnibus Vet. Testamenti libris post exsilium scriptis nusquam memorantur. Mihi vero jam psalmus XXIX videtur probare, apud Israelitas ante exsilium diluvii memoriam fuisse. Et cui psalmo post exsilium conscripto certior inest capitis primi Geneseos memoria quam psalmo VIII Davidico?

Exodo propositus exhibet, antiquissimam dici et eam, quam idem perhibet, otii sabbatici causam ac rationem Israelitis antiquitus fuisse notam. Deuteronomii scriptor hanc quidem omisit, sed ea, quam in locum ejus substituit — haud dubie propterea quod aptior esset ad servorum requiem commendandam — parem sabbati naturam docet. Utraque enim significat sabbatum diem Jehovae sacrum esse et otium sabbaticum Deum imperasse non id praecipue spectantem, ut utilitatem aliquam vitae hominum afferret, sed ut monumentum esset rei divinae: sive — quod Deuteronomium praedicat — liberationis patrum a Jehova effectae, sive — quod Exodus docet — quietis Dei, propter quam principio septimus dies sacer factus sit. Simul has duas res sabbatorum causas esse habitas, ut supra vidimus, credibile est. Praeterea ambae decalogi formae in eo consentiunt, quod utriusque ratio docet, Deum non quasi ambitiose praescripsisse otium sabbaticum tamquam rem molestam et per se inutilem, quo voluntati ipsius ex mera libidine profectae morigeraretur, sed ut rem jucundam et utilissimam, cujus dulcedine memoria servaretur Dei benigni. Sacer simul et laetus dies sabbati existimandus est, utramcunque decalogi formam spectas, et otium sabbaticum officium simul est et beneficium.

Praeterea in „libro sanctitatis“, qui compluribus locis sabbato otiari jubet, causa ejus praecepti significatur. Leges sabbaticae ejus sunt hae: Sabbata mea servatote et sacrum meum verebimini. (Lev. 19, 30. 26, 2). Sancti estote, nam sanctus sum ego, Jehova, Deus vester. Suam quisque matrem et patrem suum amatote et sabbata mea servatote. Ego sum Jehova, Deus vester. (Lev. 19, 2. 3). Et tu sic alloquere filios Israelis: Utique sabbata mea servatote, nam signum est inter me et vos stirpibus vestris, ut sciatur me, Jehovam, esse vos sanctificantem. Et sabbatum sancte agitote, nam sacrum vobis est, qui id profanaverit moritor, nam quisquis eo negotium egerit, is animus exciditor ex gente

sua[1] (Ex. 31, 13. 14). His legibus sabbatum praecipue idcirco, quod sacrum sit, servari imperatur. Quod maxime convenit sententiae libri sanctitatis. Qui sabbatum profanat, Jehovae sanctitatem violat et capitis poena tenetur. Bis uno versu sabbatum et sacrum (fanum) Israelitae jubentur vereri[2]. Sicut sacrum (fanum) locus est, quem Jehova sibi excepit, quare pedes profani eum non debent attingere, sic sabbata dies Jehovae sacri sunt, qui profanantur opere quotidiano. Haec eadem est sententia, quam non modo Jeremiae et Ezechielis fuisse sed etiam decalogi lege sabbatica doceri vidimus.

Altera otii sabbatici ratio, qua sabbatum requieti hominum destinatum est, his legibus neglegitur. Quod non est mirandum, quum hae leges ea solum praedicent, quae Israelitis sint facienda aut omittenda, ut sint Dei sancti sanctus populus. Huic rei convenit, quod liber sanctitatis, ut quo consilio Jehova sabbatum, i. e. diem septimum otio distinguendum, instituerit, ostendat, sabbatum signum esse dicit, quo cognoscatur, Jehovam esse Israelitas sanctificantem. Non hoc dicit, otii sabbatici omne momentum in eo esse, quod signum sit, quo cognoscantur Jehovae cultores. Immo Jehovae diem sacrum observando, cujus observationem sanctitas a Jehova sabbato tributa exigit, simul admonentur, ut ostendant se esse Jehovae populum, quippe quem is docuerit vitam sancte agere. Item circumcisio signum foederis appellatur, et tamen plus habet momenti quam merum signum.

---

1) Hanc legem principio „libri sanctitatis“ partem fuisse, probari mihi videtur vocabulis מקדשכם, לדעת כי אני יהוה, שבתתי, חָלַל, ונכרת הנפש ההוא וגו", quorum duo posteriora, etsi aliis quoque locis libri PC leguntur (חָלַל bis, contra in L. S. duodecies), tamen maxime Libri S. propria sunt, priora duo notae, quae vix possint fallere. Cf. Klostermann in *Ztschr. f. d. luth. Theol. u. K.* 1877 p. 409. Delitzsch in *Ztschr. f. kirchl. Wissensch. u. kirchl. Leben* 1880 p. 622.

2) Lev. 19, 30. 26, 2. Vocabulum מקדש „rem sanctam“ significare (Delitzsch, *pentateuchkritische Studien* in *Zeitschr. f. kirchl. Wissensch. u. k. L.* 1880 p. 622) non credo. Targumim utroque loco verbis בית מקדשי (מוקדשי) utuntur. Cf. Jesaj. 8, 14 et quae Delitzsch in commentario suo adnotavit. Lev. 21, 23 et Ezech. 28, 18 מקדשים plura loca sacra unius fani esse videntur. (Lev. 21, 23 possit legi מִקְדָּשִׁי.)

Legem Exod. 31, 13. 14 ab Ezechiele (20, 12 sqq.) inculcari credimus (v. supra pag. 79). Sunt vero qui contendant, non ab illo repeti legem, sed lege post eum scripta repeti ea, quae propheta excogitarit. Smend in commentario (pag. 131) dicit: „*Die Worte finden sich ziemlich genau so wieder Ex. 31, 13. Vergleicht man beide Stellen in ihrem Zusammenhange, so scheint die Priorität Ezechiels unzweifelhaft*“. Quod mihi ne probabile quidem videtur. Lex sabbatica Exod. 31 ita scripta est, ut neque cum antecedentibus neque cum sequentibus contexta videatur, contra apud Ezechielem in orationis propheticae contextum et continuationem recepta est. At ex eo haudquaquam efficitur, Ezechielis libro recentiorem esse legem pentateuchicam. At verisimillimum putant, Ezechielem eum fuisse, qui primus sabbatum signum esse cultorum Jehovae voluerit. Exsilio enim instante prophetam intellexisse, quantae otium sabbaticum populo suo utilitati foret, si signum esset, quo Israelitae exsules Jehovae fideles a gentilibus discernerentur et inter se tamquam vinculo continerentur, quum sacrificandi facultate templo diruto ademta solo circumcisionis usu et sabbati otio Deum colere et religionis suae communionem sustentare possent. Ac sane credibile est, Ezechielem cogitasse, sabbati celebrationem ad eam rem utilem fore, verum non licet ponere, minoris eum sabbati celebrationem fuisse aestimaturum, nisi illud voluisset, quod quidem eum voluisse non potest certis argumentis probari. Nam Ezechiel illo loco (20, 12) non dicit: „Observate sabbatum, ut cognoscamini homines, quos Jehova sanctificet“, sed narrat, Jehovam olim, quum Israelitas ex Aegypto eduxisset, sabbati celebrationem praecepisse, ut ejus rei signum esset — videlicet non futuro demum tempore dispersionis et exsilii, si ea acciderent: quod eo minus Ezechielem cogitasse credibile est, quum ipse exsilium poenam esse dicat imprimis sabbatorum neglectorum. Itaque si illud cogitavit propheta de utilitate, quam sabbati celebratio Israelitis exsulibus afferret, tamen hoc loco non est professus. Si quidem alibi sic verba fecisset: „Servate sabbatum, quod signum est inter

Jehovam et vos", haud scio an liceret ponere, eum hoc dictum quasi jam tritum illo loco (20, 12) in antiquum tempus transtulisse. Quum autem nusquam tale quid dixerit, non licet putare, Ezechielem illis verbis aliud dixisse, quam quod iisdem verbis ab antiquioris temporis scriptore scriptis expressum esset. Ergo non est, quod censeamus, primum Ezechielem habuisse sabbatum signum foederis inter Jehovam et Israelitas icti.

Ceterum non negamus, sabbati usum et honorem magnopere esse auctum, quum Israelitis e terra sua abductis, sacrificiorum, quippe quae Hierosolymis tantum facienda essent, administrandorum facultate carentibus, otium sabbaticum jam unica praeter circumcisionem esset res, qua Jehovae fidem profiterentur et ipsorum communionem ostenderent et firmarent. At vero censemus, jam antea otium sabbaticum habitum esse populi Jehovae signum.

De reliquo controversia, num illa lex sabbatica, quae est Ex. XXXI, ante Ezechielem scripta sit, penitus dijudicari non potest nisi libri sanctitatis, qui vocatur, cujus pars illa videtur fuisse, aetate indagata. Qua de re disputandi hic non est locus, ubi hoc tantum quaerendum erat, num in rebus ad sabbatum pertinentibus causa reperiatur, qua efficiatur, legem illam post Ezechielem scriptam esse. Ejusmodi causam non reperiri cognovimus. Mihi vero persuasum est, ante Ezechielis aetatem scriptum esse „librum sanctitatis", quod satis probasse arbitror Noeldeke, *Unterss. zur Krit. des A. T.* (1869), p. 67—71, Klostermann in *Ztschr. f. d. luth. Theol. u. K.* 1877, p. 401—444, Delitzsch in *Ztschr. f. k. W. u. k. L.* 1880, p. 617—626.

Sin autem post exsilium scriptus esset, et Ezechiel, quamquam Jehovam antiquitus sabbatum instituisse dicit, ut signum esset foederis, princeps hoc docuisset, tamen non liceret putare, in exsilio vel post exsilium sabbati naturam aliam existimatam esse quam antea. Nam quum sabbata semper dies sacri habita sint, quibus laborare non liceret, ne sanctitas a Jehova iis tributa violaretur, omni tempore signum

appellari potuerunt, quo cognoscerentur Jehovae cultores ab ipso sancte vivere docti. Illo loco pergitur (Exod. 31, 15—17): Sex diebus negotium facitor, sed septimo die sabbatum, dies feriandi festus, sacrum Jehovae. Quicumque negotium fecerit sabbato, moritor. Et filii Israelis sabbatum servanto, ut servetur sabbatum apud stirpes eorum foedus aeternum. Inter me et filios Israelis signum est in aeternum, nam sex diebus Jehova fecit coelum et terram et septimo desiit et (respiravit) requievit. Incertum est, utrum haec verba in libro sanctitatis fuerint, an ab eo, qui pentateuchum in eam, quam nunc habemus, formam redegit, vel ab alio ante eum sive post eum huic legi adjecta sint. Versus 15 a scriptore libri elohistici (A, PC) videtur scriptus esse, 16 et 17 autem ejus certe non sunt, quum vocabulum וינפש „respiravit" de Deo dictum a consuetudine sermonis ejus discrepet, neque satis credibile sit, id posteriore tempore insertum esse. Immo memoriam affert loci Exod. 23, 12 in libro foederis, atque id ipsum videtur documentum esse aetatis non ita serae. Itaque existimo, hos versus in librum sanctitatis insertos esse antequam is in librum elohisticum (A, PC) receptus sit.

Quamquam credibile est, eum, qui sabbatum signum foederis Jehovae cum Israelitis facti vocat, idem ad memoriam quietis Dei post mundum creatum captae servandam institutum existimasse, quum Israelitae otiando sabbatis exemplum divinum imitantes Dei cultores se praeberent, tamen, ut opinor, neminem fugiet, parum esse verisimile, rationem otii sabbatici ex narratione mundi hebdomadis spatio confecti petitam primo esse propositam lege, qua sabbatum tamquam signum populi a Deo electi imperatur. Immo probabile est, ex alia lege sabbatica, hanc otii imperati rationem praecipuam vel solam proponente, eam in hanc legem tamquam additamentum paene superfluum esse translatam. Itaque, quum praeter Exod. 31, 17 versus Exod. 20, 11 solus illam rationem exhibeat, is prius scriptus existimandus est quam ille. Nulla

igitur, ut mihi videtur, res probat, rationem illam otii sabbatici a scriptore libri elohistici (A, PC) inventam ab eoque aut ab homine, qui post eum fuerit, in decalogum intextam esse: immo vero ante eum primo in decalogi deinde in libri sanctitatis lege sabbatica illa ratio videtur exstitisse, in librum autem elohisticum cum ipsis illis legibus inducta esse.

Etiamsi vero libri elohistici scriptor primus eam proposuisset, tamen non videretur hac re significare, se de otii sabbatici natura ac potestate aliter cogitare, quam priore tempore prophetae et legum priorum scriptores cogitarint. Quod ex iis, quae supra a nobis exposita sunt, satis apparet. Nec quemquam credo assensurum esse verbis Wellhauseni „... *In der Tat könnte vom Sabbath des Priestercodex nicht gesagt werden, er sei um des Menschen willen da Marc. 2, 27, er ist vielmehr ein mit der Starrheit eines Naturgesetzes auftretendes Statut, das sich selbst zum Grunde hat und auch für Gottes Schaffen gilt*". Non quod sanctus jam fuisset dies septimus, eo Deus quievisse dicitur, sed diem septimum sanctum fecisse, quod quieverit.

Verbis propriis liber elohisticus de sabbati causa ac ratione nihil docet. Quaestionem igitur propositam jam ad finem perduximus.

Atque quae cognovimus haec sunt:

1) Vocabuli שַׁבָּת, a radice שׁבת$_3$ ducti, contractione ex שַׁבָּתָה facti, principalis significatio est „quietis". — pag. 5—8.

2) Vetus Testamentum non dicit aperte, ante Mosen homines hebdomade usos esse et sabbata egisse. — 9—11.

3) Ceteri populi antiqui praeter Israelitas et Babylonios neque hebdomade, nisi in astrologia, usi sunt neque sabbata egerunt. — 12—24.

4) Nostra hebdomas orta est conjunctis hebraica (sabbatica) et astrologica. — 18. 19.

5) Fortuito factum est, ut idem dies Judaeis sabbatum, astrologis Saturni dies esset. — 19.

6) Hebraeorum sabbata non fuerunt principio dies Saturni. — 19—23.

7) Hebdomas astrologica a Babyloniis inventa est, quamquam in literis cuneatis adhuc notis is ordo planetarum, qui in hebdomade astrologica inest (☾ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄ ☉), non reperitur. — 24—35.

8) Hebdomas astrologica apud Babylonios non fuit in publico, sed in astrologorum tantum usu. — 35. 36.

9) Alia Babylonii hebdomade, ex mense lunari quadripartito orta, vulgo utebantur. — 37—60.

10) Sabbata iis fuerunt septimus, quartus decimus, unusetvicesimus, duodetricesimus uniuscujusque mensis dies. — 37—59.

11) Sabbata non erant dies atri sed otii severe quidem imperati, verum minime tristis. — 56—58.

12) Non ad Lunae cultum sabbata principio pertinuerunt. — 61. 62.

13) Sunt fortasse ex eo orta, quod numerus senarius Babyloniis numerus principalis (*Grundzahl*) mensurarum erat, quare senum dierum laboris quasi plenus videbatur esse laboris modus, quem subsequi diem quietis consentaneum esset. — 62—65.

14) Israelitae sabbata a Babyloniis acceperunt, Moses ea religioni Jehovae accommodata nova lege confirmavit ac sanxit. — 66—68.

15) Inde a Mosis tempore Israelitis septimus quisque dies sabbatum fuit. — 71—74.

16) Ex propheticis et historicis libris apparet, sabbata inde ab Amosi aetate habita esse dies, quibus negotia majora qualiacunque agere nefas esset, et Amosi aetate non neglegentius sed diligentius quam Nehemiae tempore negotiorum intermissione celebrata esse. — 75—81.

17) Omnes scriptores pentateuchici majores cujuslibet generis labores sabbato intermitti volunt. — 81. 82.

18) Libri elohistici (PC) leges aliquanto severius quam ceteras otium sabbaticum imperare, certis argumentis non potest probari. — 83. 84.

19) Otium sabbaticum a prophetis et legum scriptoribus sacrorum omnium habetur maximum. — 85. 86.

20) Causa otii sabbatici semper ea potissimum credita est, quod sabbatum dies sit Jehovae sacer, qui labore hominum profanetur. — 86—88.

21) Non senserunt, otium praescriptum sequi sanctitatem sabbati similiter atque aliorum dierum festorum sanctitatem sequeretur, sed sabbatum a principio ideo sacrum factum esse, ut esset dies otii. — 88.

22) Deus nullo tempore ab Israelitis creditus est praecipue idcirco septimum quemque diem sabbatum fecisse, ut servis et jumentis requiescendi facultas daretur, sed ut ipsius dies essent propter pietatem Deo debitam hominibus celebranda. — 88—91.

23) Semper vero crediderunt, simul Jehovae consilium fuisse, ut otium sabbaticum hominibus labore quotidiano pressis, maxime servis (et jumentis), usui esset. Non merum officium illud, sed etiam beneficium existimabatur. — 91. 92.

24) Utramque rem complectitur ratio otii sabbatici proposita in altera parte legis sabbaticae, quam Exodi decalogus habet (Ex. 20, 11), et officium et beneficium esse otium sabbaticum significans. — 92—93.

25) Etiam Deuteronomii scriptor ratione otii sabbatici ab ipso allata utrumque ponit, et officium esse illud et benecium. — 100.

26) Probabile est, rationem in decalogo Exodi positam Deuteronomii scriptori notam fuisse et ab eo consulto omissam esse, ut alterius locum haberet. — 94—97.

27) „Liber sanctitatis“ id potissimum praedicat, sabbata esse dies Jehovae sacros, quibus hominibus negotia sua facere non liceat: quam omnibus temporibus principalem otii sabbatici causam habitam esse ante posuimus. — 100. 101.

28) Cui rei consentit, quod in illo libro ponitur, Deum eo consilio sabbata instituisse, ut Israelitae otio dies Jehovae sacros sancte agentes ostenderent, Jehovam ipsos sanctificare. — 101.

29) Non est causa, cur sumamus, Ezechielem primum hanc otii sabbatici rationem statuisse. — 102. 103.

30) Etiamsi Ezechiel eam sententiam invenisset, non liceret contendere, ejus aetate sabbati naturam aliam existimatam esse atque antea. — 103. 104.

31) Versus Exod. 31, 16—17 posterioris aetatis sunt quam Exod. 20, 11 et in „librum sanctitatis“ inserti, antequam is in librum elohisticum (A, PC) receptus est. — 104. 105.

32) Etiamsi scriptor libri elohistici (A, PC) primus eam otii sabbatici rationem statuisset, quam in decalogo Exodi legimus, non liceret statuere, eum de otii sabbatici natura atque auctoritate aliter cogitasse, quam priore tempore prophetae et legum priorum scriptores cogitaverint. — 105.

Supplementa.

Ad pag. 12 lin. 14—18 (Non est — est dicendum): Quod Romanorum, Graecorum, Aegyptiorum, Indorum exemplo satis probatur, licet Sinenses et Mexicani veteres re vera hebdomadibus usi sint (Ideler, *Handb. der mathem. u. techn. Chronol.*, I 87 sq.), cf. pag. 37 lin. 7 sqq.

Ad pag. 18 lin. 2. 3: cf. pag. 111 not.

Ad pag. 20 lin. 15 sqq.: cf. Cic. de nat. deor. II 20, 52. 53.

Ad pag. 23 lin. 6—8: Hebraeorum sabbata principio dies festos Saturni fuisse, nuper etiam H. Cohen, professor Marburgensis, sumpsit, cf. commentationem ejus *„der Sabbath in seiner culturgeschichtlichen Bedeutung“* in *„Zeitgeist“* 1881 pag. 61—94 (*Milwaukee, Wisconsin*).

Ad pag. 25 lin. 30 adde:

15) Monstrum VII capita habuisse fertur: II R 19, 13/14 b.

16) Arbores sacrae ita depingi solent, ut rami earum VII sint.

Cf. Eb. Schraderi libri, qui inscribitur *„die Keilinschriften u. das Alte Testament“* editionem alteram nunc nuper editam (pag. 22).

Ad pag. 33 lin. 7, pag. 34 lin. 4: cf. pag. 53.

Ad pag. 37 lin. 26 sqq.: Hoc fabulae illius initio solo satis probari, Babylonios hebdomadibus usos esse, non ajo.

Ad pag. 57 lin. 26 sqq.: Noli neglegere quod in pag. 51 ad tabulae illius lineam I 29 adnotavi. Quum *.ḫul..gāl. ubâni* significare videatur „directionem s. porrectionem digiti“, *ûmu*

.ḫul..gâl. fortasse est „dies designatus, status, dies quieti destinatus“.

Ad pag. 62—65: Forsitan dixerit quispiam, Babylonios non eo, quod numerus senarius iis mensurarum numerus principalis esset, adductos esse, ut senos dies negotiosos tamquam plenum laboris modum quietis diem subsequi vellent, immo vero numerum senarium factum esse mensurarum numerum principalem eo, quod singularum hebdomadum essent seni dies operarum. Quod minus probabile est. Nam quum non sit credibile, hebdomadem sabbatumque instituta esse a primis hominum parentibus accepta (cf. pag. 12), originem eorum non possumus nisi ex rationibus naturalibus repetere. Circumspicientes autem res naturales certe reperimus rationem idoneam, quae homines ad menses in quaternas hebdomades dividendos adduxerit (cf. pag. 37), sed nullam meo judicio qua commoti sabbata septimo quoque die revertentia constituerint. Ut singuli ex septenis diebus otio relinquerentur, fieri non potuisse mihi videtur, nisi antea numerus senarius ad mensuras definiendas adhiberi solitus sit. Certe multo facilius potest cogitari, qui factum sit, ut numero senario tamquam regula numerorum distribuendorum mensurarumque definiendarum adhibito septimi cujusque diei otium instituerent, quam ut sabbatorum agendorum morem in ordinandis numeris et mensuris respicerent. Et quum in rebus naturalibus sabbatorum institutorum causa frustra quaeratur, haud difficile est invenire rationes nonnullas, quae possint existimari causae, cur numerus senarius mensurarum numerus principalis factus sit.

Annus e. c. circiter $6 \times 6 \times 10$ dies, 6×2 menses continet, mensis 6×5 dies. Orbi solis ea videtur esse magnitudo, ut trecentesimae sexagesimae parti hemicycli par sit $\left(\frac{180^\circ}{360} = 30'\right)$, et si duplice orbis solis magnitudine uteris modo dimetiendi orbis coelestis (qui Babyloniorum mos a mathematicis ad nostrum usque tempus tenetur) eumque gradum vocas (ita ut cycli sint 360 gradus — 360° —, tot quot

anni dies), facile est intellectu, astrologos Babylonios diem in sex horas, horam in sexaginta sexagesimas dividisse, ut diei 360 sexagesimae sint et sol, per diem orbem totum perlustrans, singulis sexagesimis singulos coeli gradus percurrat[1] sicut singulis diebus singulos gradus lineae eclipticae, qua anni spatio cursum annuum, qui vocatur, agit.

Atque quum luminum lunae respectu moti essent, ut annum in XII menses et cursum annuum solis in XII partes (XII sidera zodiaci) dividerent, factum est, ut etiam cursum quotidianum itaque diem in XII partes (*kasbu*) distribuerent. Eas autem vocaverunt „horas duplices“, quum sextam diei partem in quatuor partes dividendo XXIV horas diei constituere juvaret.

Praeterea probabile videtur, Babylonios numerum sexagenarium tamquam regulam numerorum disponendorum et scribendorum adhibuisse propter commodissimam naturam illius numeri, quippe qui numeris II, III, IV, V, VI, X, XII, XV, XX, XXX dividi possit (cf. Brandis, *Münz-, Mass- u. Gewichtssystem in Vorderasien*, pag. 10 sq.).

Eas rationes satis idoneas existimo, quae ad mensuras numero senario dimetiendas potuerint homines adducere. Repeto tamen, me sententiam illam de sabbatorum origine propositam non ut probatam sed examinandam commendare.

---

1) Sexagesimarum tali modo constitutarum senae sunt sexagesima diei pars. Itaque Babylonii in constituendo ordine dierum hebdomadis astrologicae ☾ ♂ ☿ ♃ ♀ ♄ ☉ singulis planetarum diis senas ejusmodi sexagesimas attribuisse videntur, cf. pag. 18 lin. 2. 3.

Menda typographica.

Pag.	7	lin. 1	lege	שַׁבָּת.
-	7	- 4	-	בַּלָּהוֹת.
-	26	- 2	-	praemittatur.
-	27	- 10	-	*Rámán.*
-	28	- 12. 24	-	*Rámán.*
-	34	- 4	-	*.muš..ti..gaz.*

LEIPZIG. J. C. HINRICHS'SCHE BUCHHANDLUNG.

Von demselben Verfasser erschien:

DIE INSCHRIFTEN TIGLATHPILESER'S I

in transskribiertem assyrischem Grundtext mit Uebersetzung und Commentar von

Wilhelm Lotz.

Mit Beigaben von **Friedrich Delitzsch.**

1880. Lex.-8. XVI und 224 Seiten. ℳ 20.—

In Vorbereitung befindet sich:

EIGENNAMENLEXIKON

zur babylonisch-assyrischen Keilschriftliteratur

von **Dr. Wilh. Lotz.**

WO LAG DAS PARADIES?

Eine biblisch-assyriologische Studie

von **Friedrich Delitzsch.**

Mit zahlreichen assyriologischen Beiträgen zur biblischen Länder- und Völkerkunde und einer Karte Babyloniens.

1881. XII und 346 Seiten. ℳ 20.—

DE VOCIS *ΣΥΝΕΙΔΗΣΕΩΣ*

APUD SCRIPTORES NOVI TESTAMENTI VI AC POTESTATE.

Commentatio et biblico-philologica et biblico-theologica.

Scripsit

Paulus Ewald, Theol. Lic. Phil. Dr.

1883. 92 S. ℳ 3.—

DER KEILINSCHRIFTLICHE SINTFLUTHBERICHT.

Eine Episode des babylonischen Nimrodepos.

Habilitations-Vorlesung von **Paul Haupt.**

Mit dem autogr. Keilschrifttext des babylon. Sintfluthfragmentes.

1881. 36 Seiten. ℳ 2.—

ALPHABETISCHES VERZEICHNISS DER ASSYRISCHEN UND AKKADISCHEN WÖRTER

im zweiten Bande der „Cuneiform Inscriptions of Western Asia"

sowie mehrerer anderer meist unveröffentlichter Inschriften, mit zahlreichen Ergänzungen und Verbesserungen der Texte nach den Thontafeln des Britischen Museums

von **J. N. Strassmaier S. J.**

1. u. 2. Lieferung. 1882, 83. 4. à 192 autographirte Seiten. à ℳ 24.—

Druck von Breitkopf & Härtel in Leipzig.